



## **Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia**

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

**Raynaud, Théophile**

**Lugduni, 1665**

Sectio II. De Christi attributis in ordine ad Deum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)




## SECTIO II.

### DE CHRISTI ATTRIBUTIS

in ordine ad Deum.



Hæc secunda classis Christi attributorum, iuxta ordinem superius constitutum, commodè distribuitur, partim in ea attributa quæ spectant ea quibus Christus est à Patre donatus; partim in alia quæ pertinent ad exhibita Patri à Christo. In priori ordine sunt, esse Filium Dei, Agnum Dei, faciem ac vultum Dei, dilectum Patri, Seruum, Creaturam nouam, Gratiâ Dei atque Misericordiam, & si quæ sunt alia fundata in esse Christi, aut modo illud accipiendi à Patre. Ad posterio-rem ordinem pertinent, esse Christum, Martyrem Dei, & Apostolum eius, siue Angelum, & Amen Dei, ac etiam Alleluia.



#### CAPVT I.

*Christus Filius Dei naturalis,  
Vnigenitus Patris.*

**N**ON est hic sermo de filiatione Christi prout est persona diuina subsistens in Deitate. Sic enim certa fides est aduersus Arianos, Christum esse Deum verum de Deo vero, via generationis procedentem, atque adeo filium Dei naturalem. Tota ergo huius loci disputatio est de Christo quatenus homine, seu quatenus diuina personalitas in eius humanitate, subsistit, eamque substantialiter terminat.

*Christum hominem, non esse naturalem,  
sed adoptiuum Dei Filium,  
quorundam sententia.*

Aliqui ergo negarent Christum sub ea ratione esse filium Dei naturalem, admitterentque esse filium adoptiuum. Ita Durandus in 3. d. 4. quæst. 1. numer. 6. ac Bassolis ibid. art. 2. & Rubionius in 3. d. 10. quæst. 2. quorum ratio est, quia Christus quatenus homo, est filius Dei; cum sit sanctus & gratus Deo: quod ut ex iustis vulgaribus patet, satis est ad hoc ut quis sit filius Dei. Atqui per eam sanctimoniam, Christus non constituitur filius Dei naturalis, quia propter eam Christus non procedit ut viuens à viuente in similitudinem naturæ. Igitur est filius adoptiuus, sicut nos sumus, non quidem per diuersitatem personæ humanæ à diuina, (quo

sensu Nestorius cum Diodoro Tarfensi libro suo 3. de Incarnat. apud Leonium Byzantinum, blasphemè statuit Christum filium Dei adoptiuum,) sed per exclusionem generationis naturalis, & per communicationem gratiæ habitualis, quæ constituit hominem filium Dei adoptiuum, nec potest constituitur naturalem: quamuis ut Rubionius sæpè repetit, fas sit, Christum hominem denominare filium Dei naturalem per idiomatum communicationem. Quid quod discreti nonnulli Patres Christum filium adoptiuum statuerunt, ut agnoscit Facundus lib. 9. pro tribus capitulis cap. 5. & nominatim ita sensisse S. Hildefontum fama tulit, eumque pro se referebat Elipandus. Inexcusabiliter autem id affirmasse S. Irenæum l. 3. c. 21. censet Valg. 3. p. d. 89. c. 15. loca tria in eandem rem satis difficilia exhibet Agobardus l. contra Felicem sub finem. Locus S. Hilarij sic habet. [Pauit Virgo, partus à Deo est. Infans vagit; laudantes Angeli audiuntur. Panni foderent, Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.] Quid clarius? Neque enim ea adoptio carnis, refertur potest ad nostram adoptionem factam interuentu demissionis Christi, sed perspicue à S. Hilario refertur ad ipsiusmet in diuinitate carnis, siue humanitatis Christi adoptionem. Quo eodem modo accipiendus videtur S. Auitus his verbis quæ ex eo refert Agobardus. [Certè circumfrentibus Iudeis, & in Dominum nostrum exerta blasphemiarum tela vibrantibus, quem respondisse credimus, amen dico vobis ante Abraham ego sum, nisi quia per concordiam Genitoris & generis, ipse per traducem maternorum parentum ex Abraham semine, qui sine annorum numero Abraham præiuit æternitate? Qui

maximè



maximus Patriarcharum cum videret illum  
dicens in quo sine fine permanet Deus, con-  
cepit tamen illum videre quo homo vnitus  
est Deo. *Vidit* (inquit) & *gnatus* est: quia  
sicut cernebat illum in quo erat genuina  
maiestas, ita & istum desiderio conceperat,  
in quo adoptata illustrabatur humilitas. En  
adoptatam humilitatem humanitatis Christi.  
Videntur ergo hi Patres, aperte stipulari  
adoptioni Christi quatenus hominis. Vt  
omiteram Marium Victorinum lib. 1. contra  
Arium qui non nisi cum addito vocat Chri-  
stium, filium adoptiuum. [Non est filius (in-  
quit de Christo) quemadmodum nos: Nos  
enim adoptione filij, illi natura. Etiam qua-  
dam adoptione filius & Christus, sed secun-  
da carnem. Ego hodie genui te. Quod  
dicit Christum secundum carnem, esse qua-  
dam adoptione filium Dei, non est visus alle-  
gendus in eorum classem qui simpliciter di-  
xerunt, Christum esse filium Dei adoptiuum.  
Reuera eius sensus non alius esse videtur,  
quam quod humanitas non natura sua, sed  
ex vera Dei gratia & liberalitate, sit cuncta ad  
subsistentiam filij Dei, quod est longe diuer-  
sum ab eo quod alij affirmant de Christo fi-  
lio Dei adoptiuo.

*Improbatur à quibusdam inefficaciter.*

95. Contraria sententia est inter Scho-  
lasticos communissima. Quanquam non om-  
nes eam probant efficaciter. Aliqui enim in-  
de id conuincunt, quod necesse sit, filium  
adoptiuum prius tempore, vel saltem prius  
natura esse quam adoptetur. Atqui Chris-  
tus non fuit prius tempore vel prius natura  
homo quam filius Dei. Non est igitur ado-  
ptiuus Dei filius. Quæ argumentatio gratis  
assumit, ad filiationem adoptiuam requiri  
preexistentiam personæ adoptati, aut tem-  
porariam, aut secundum ordinem naturæ,  
priusquam adoptetur.

Alij argumentantur ex eo quod adoptio  
non contineat vnionem cum adoptione nisi  
secundum affectum. At humanitas Christi  
realiter & hypostaticè vnita Verbo. Non  
est igitur Christus secundum humanitatem  
filius Dei adoptiuus. Sed hæc quoque ra-  
tio infirma est: quia non ostendit, vnionem  
realem excludere adoptionem, quod tamen  
suis ostendendum. Est quidem verum, vi  
adoptionis non inferri realem vnionem. Vi-  
cversa tamen non sequitur, vel saltem non  
ostenditur, adoptionem abesse posita reali  
vnione: quia cum ea vnio sit naturæ à Deo  
extraneæ, cuiusmodi esse videtur omnis crea-  
tura, atque adeo etiam Christi humanitas,  
nihil in se habere videtur impossibile  
cum talis naturæ sanctificatione accidenta-  
ria, atque adeo etiam cum adoptione.

Nonnulli inde à Christo homine remo-  
uent filiationem adoptiuam, quod relatio  
filiationis adoptionis conueniat ipsi supposito  
immediatè, non autem mediante natura.  
Nam gratia sanctificans quæ confert filia-  
tionem adoptiuam, est noua natura dans  
supposito esse nouum & distinctum ab esse  
naturali quod dat natura creatæ, eique nequa-

quam superueniens, sed immediatè efficiens  
suppositum. Sicut si Angelus assumeret hu-  
manitatem, humanitas quia est noua natura,  
non adueniret naturæ Angelicæ, sed eius  
supposito. Repugnat autem, suppositum di-  
uinum immediatè ac per seipsum esse filium  
adoptiuum. Igitur Christus homo, non est  
filius adoptiuus. Hæc item ratio est inanis.  
Falsum quippe est, filiationem quæ confertur  
per gratiam sanctificantem, cadere immedi-  
atè in diuinum suppositum. Nec id rectè pro-  
batur ex eo quod gratia sanctificans sit no-  
ua natura. Id enim est tantum analogicè ver-  
um, ob aliquam proportionem quam gratia  
habet cum habitibus aliis infusis, ei non  
abfimilem quæ naturæ intercedit cum suis  
potentiis. Absolutè tamen gratia non est na-  
tura, sed merum accidens: quod proinde in  
Christo non aduenit immediatè supposito  
diuino, sed humanitati per Verbum termi-  
natur; nec Verbum afficit nisi per humanita-  
tem: Idque vnum affirmat Durandus. Nec  
argumento proposito, ostenditur id repugna-  
re. Quare alia præsidia veritatis propositæ  
querenda sunt, si eam solidè stabilitam  
volumus.

*Solida improbatio.*

96. Hoc ut assequamur, supponenda est  
adoptionis diuinæ germana ratio. Nam tum  
demum eam à Christo remouere legitimè li-  
cebit cum perspectum fuerit quid sit, &  
quid cum vnione hypostaticæ impossibile  
inferat. In eo ergo sita est diuina adoptio,  
vt plenius dicam sect. 4. c. 10. quod personæ  
propter ex se à Deo extraneæ, à diuina be-  
nignitate donentur diuinitate proportiona-  
li, vt loquitur S. Maximus centur. 1. ex va-  
riis c. 76. id est gratia sanctificante, atque  
adeo per affectum fiant filij Dei. Hæc cum  
sic legitima notio adoptionis qua Deus pu-  
ras quascunque intellectuales creaturas ad-  
igit in filios; non generans, sed dicens vt  
sunt Dij & filij excelsi, iuxta Cyrillum Hie-  
rosol. catech. 11. itémque vt post Nysse-  
num orat. 3. (imo 6. in Eunom. loquitur Iu-  
stinianus in edicto de fide non proprios habens,  
sed per imperium productos, & generatos; con-  
stare potest, quam rectè constitutum à nobis  
sit Christum non esse filium adoptiuum.  
Christum inquam, non quatenus nudè Ver-  
bum, de quo sit ne filius naturalis non est  
lis nisi cum Arianis; sed quatenus est subsi-  
stens in humanitate: ita vt filiatio ipsam  
humanitatem afficiat, licet non seorsim à  
Verbo positam, sed vt ei copulatam. Qua  
ratine Durandus, & alij, affirmabant Chri-  
stum esse filium Dei adoptiuum.

Contrarium ex dictis confirmo, cum  
D. Thomæ 3. p. q. 24. art. 1. quia persona quæ  
adoptatur ab aliquo, debet esse adoptanti  
extranea, saltem quoad gradum filij, vt  
constat ex fine adoptionis. Atqui Christus,  
etiam quatenus est persona in humanitate  
subsistens, non est persona à Deo extranea.  
Igitur etiam vt sic, non est filius adoptiuus.  
Vfus est hac ratione Adrianus Papa, Episto-  
la ad Episcopos Hispaniæ, quam tamen Be-  
ned.



ned. Iustitia. Philipp. 2. v. 7. num. 7. suspicatur Adriano affingi, alij tamen communiter agnoscunt legitimam. Vsurpatur quoque ea ratio in Concilio Francofordienſi, & passim à Doctõribus: nec video qua ex parte nuret.

Tantum dici potest, ad minorem, eatenus Christum haberi posse extraneum à Deo in sua humanitate; quatenus ut sic, non processit à Deo per generationem, nec est de eius substantia. Ex quo sequitur, ut quoad hoc sit creatura, nec habeat ius ad diuinam hereditatem, nisi per gratiam. Nam id est totum fundamentum, quo nituntur qui statunt, Christum propterea est Verbum subsistens in humanitate, esse filium adoptionis. Hoc tamen non enervat rationem factam, quia non quisquis esse ab aliquo per generationem non accepit, censendus est eius filius adoptivus. Potest enim nihilominus non esse ab eo extraneus, & habere ius connaturale ad hereditatem eius; si nimirum vi sui esse, & essentialis constitutionis, sit cum eo coniunctus substantialiter, seu personaliter: Nam cum ea coniunctione, repugnat ut persona sit extranea, etiam propterea subsistens in natura non collata per generationem substantialem, ab eo cui coniungitur prædicto modo. Igitur quamvis Christus ut homo, non accepit esse à Deo per generationem quæ est processio viventis à vivente in similitudinem naturæ; tamen non est habendus filius adoptivus; quia ut dixi; etiam ut homo, siue in humanitate sua, est coniunctus Deo personaliter; ac proinde non est ei extraneus, quod est de ratione adoptionis, ut declaratum manet ex proposito superius eius sine. Est igitur ratio proposita, planè idonea ad confirmandam sententiam à nobis constitutam.

*Fundamenta contrarij placiti, dissecta.*

97. Quod è contrario ei ab adversariis opponebatur, leve est. Non enim quia est in Christo gratia sanctificans eiusdem cum nostra speciei, sequitur Christum esse æquè ac nos filium adoptionis. Nam gratia, tunc tantum habet pro formali effectu adoptionem, cum subiectum cui gratia advenit, est extraneum: quod nullomodo in Christum cadit. Eodémque recidit; quod aliàs diximus, filiationem naturalem in Christo, absorbere seu excludere adoptionem, ex gratia sanctificante creata consecuturam. Sicut maius vinculum quod est inter patrem & filium, facit ut non denominentur amici; quamvis tota ratio amicitiae, ex qua aliæ personæ denominarentur amicæ, inter eos locum habeat.

Ad Patres verò quos pro Christi adoptione profecti diximus, responderet Facundus, idcirco Christum ab eis potuisse dici, adoptionem suscepisse, quia Sacramentum adoptionis filiorum suscepit, cum circumcisus est & baptizatus. Representandus est integer locus, quia eget emplastro quoad aliud negotium. [Adoptionem (inquit) filiorum suscepisse Christum, si antiqui Doctores Eccle-

siæ dixisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesiæ, quæ tales Doctores habuit, iudicari deberent hæretici. Nam Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est: & potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari; sicut Sacramentum corporis & sanguinis eius quod est in pane & poculo consecrato, corpus eius & sanguinem dicimus: non quod propriè corpus eius sit panis, & poculum sanguis: sed quod in se mysterium corporis eius, sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus, benedictum panem, & calicem, quem discipulis tradidit, corpus & sanguinem suum vocavit. Quocirca sicut Christi fideles, Sacramentum corporis & sanguinis eius accipientes, corpus & sanguinem Christi rectè dicuntur accipere; sic & ipse Christus, Sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse. Alioquin neque de nobis dicendum est, quoniam adoptionem suscepimus filiorum, aut quia redempti sumus atque saluti; quoniam Apostolus dicit; *Nos ipsi primitiis Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei. Expectantes, redemptionem corporis nostri; spe enim salvi facti sumus: spei autem quæ videtur, non est spes.* Sicut ergo, quamvis adhuc secundum Apostolum, expectemus adoptionem, & redemptionem, & salutem; tamen quia iam Sacramentum adoptionis & redemptionis, & salutis accipimus, & filij Dei, & redempti, & saluti, rectè vocamur; ita Christus quoque Sacramentum adoptionis non ad utilitatem suam, sed ad ipsius Sacramenti confirmationem, in circumcissione, & baptismo suscipiens, sicut Apostolus ait; *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcissionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum,* potuit ab antiquis Ecclesiæ Doctõribus rectè dici, quod adoptionem suscepit filiorum.]

Hic locus, quantum, attinet ad exponendos Patres Christi adoptioni in speciem adpulatos, valeat quantum potest. Agere certe satisfacit, quia plerique Patres qui adoptionis Christi meminerunt, nullo respectu habito ad eius baptismum, ita sunt locuti: & merito baptismum Christi prætermiserunt, de adoptione eius agentes; quia baptismus ille non erat Sacramentum adoptionis, sicut est noster baptismus. Quod verò Facundus, adoptionem Christi per Sacramentum adoptionis, exponit, sicut Sacramentum corporis & sanguinis Christi, dicitur corpus Christi, etiam si panis & poculum non sint propriè corpus & sanguis Christi; sed tantum quia in se mysterium corporis & sanguinis Christi continent; hoc inquam quod de Christi corpore & sanguine ait Facundus, illud ipsum est, quod emplastro egere dicebam, ne hostes Christi, dimissis tot patentissimis & nullatenus ambiguis Patrum locis, quibus veritas corporis & sanguinis Christi asseritur, ad hunc Facundi locum in speciem duriusculum, illidantur; quod ante paucos dies in urbe Nemauso, quæ nuper hæreticorum latibulum in Septimania fuit, scio accidisse.



in ueterato dierum malorum in Caluini hara-  
fubulco: hunc Facundi tunc recens editi lo-  
cum, aduersus ueritatem Catholicam intor-  
quentis. Sed facillimum erat aduertere, Fa-  
cundam, *Sacramentum corporis & sanguinis*,  
appellare species uisibiles. Hæ enim sunt  
quæ immediatè uidentur & accipiuntur: &  
ratione earum, quamuis non sint corpus &  
sanguis Christi, tamen uerum corpus Chri-  
sti quod eis subest, dicitur tangi, uideri, ac-  
cipi. Quia ratione S. Anselmus, extremo ca-  
pite libri de Sacramento altaris, & plenius  
Lanfrancus l. contra Berengarium, expo-  
nunt locum D. Augustini ex Epistolare 23,  
ad Bonifacium, huic Facundi loco affinem,  
quo Berengarius abutebatur. Nec plura de  
responsione quam Facundus suggererat ad  
loca Patrum, adoptionem Christi, uerbo  
tenus admittentium.

*Pugati nominatim Patres aliqui, Hilde-  
fonsus, Irenæus, Hieronymus.*

98. Nominatim autem pro S. Hildefon-  
so, certum uidetur, eum per calumniam alle-  
gari pro Christi adoptione. Nam lib. de per-  
peta uirginit. S. Mariæ, ita loquitur. [ Si  
iple ex matre coinquinatus esset aut mater  
na uiscera quasi pro peccato corrumpere,  
& sordibus ex uitio primæ damnationis co-  
inquinaret, non esset Dei filius, sed adopti-  
uus ut ceteri. Quinimo nec adoptiuus &  
nullus esset, per quem adoptaretur ipse si  
non esset proprius. ] En apertè S. Hildefon-  
sus negat Christi adoptionem. Itaque errat  
in facto Synodus Francofordiensis circa  
S. Hildefonsum. Nec necesse est respondere  
cum Baronio ad Rom. Martyrol. 23. Ianu.  
libra l. S. Hildefonsum, cum scripsit Chri-  
stum esse filium adoptione, sumplisse *per-  
sonam pro natura*, ita ut tantum uoluerit dice-  
re, esse in Christo duas naturas: sicut è con-  
trario S. Cyrillus, dixit esse in Christo vnā  
naturam, sumpta uoce *natura* pro *persona*.  
Non uideo tamen, quomodo hæc responsio  
quadret argumento: quod non opponit, di-  
ctum fuisse à S. Hildefonsio, esse in Christo  
duas personas; sed Christum dictum ab eo  
fuisse filium adoptiuum: id quod salua per-  
sonæ unitate, toties à sancto viro celebrata,  
affirmat. Quare nisi haberemus pro S. Hil-  
defonso illud quod ex eo proruli testimo-  
nium, prestaret fateri, eum, & si qui alij Patres  
ita sunt locuti, eodem sensu uocasse Chri-  
stum adoptiuum, quo scholastici pro contra-  
rio placito allegati, nempe quia secundum  
humanitatem non est à Deo per genera-  
tionem.

Pro sancto tamen Irenæo, nulla talis excu-  
satio est necessaria. Apertè enim per eum quem  
adoptionem recipere dicit, designat vnum quem-  
que nostrum; non autem Christum, ut aduer-  
sarius imaginatur præuente ibi Feuardenio.  
Sensus ergo genuinus S. Irenæi, est idcirco  
Verbum iunctum esse carni, & filium Dei na-  
turalem, factum esse filium hominis, ut puri  
homines fiant per adoptionem filij Dei. In  
quam rem, cum ipsum Irenæum, cum alios  
plerosque Patres reculimus lib. 3. c. 1. cap. 1.

*sub finem*: estque id ipsum quod post Iren-  
neum his aliis uerbis eodem planè sensu di-  
xit Origenes hom. 2. in diuersos sub finem.  
[ Verbum in carnem descendit, ut per natu-  
lem filium unigenitum multi filij efficiantur,  
adoptiui. Non propter se ipsum car-  
natum est, sed propter nos, qui non nisi per  
Verbi carnem, potuissimus in Dei filios trans-  
mutari. ]

99. Ut locum S. Hieronymi pro Christi  
adoptione à Felice obiectam, exponat Ago-  
bardus, ipsum locum describit, & quidem  
paulo altius repetito principio ut de mente  
uiri sancti, ex antecedentibus elatius liqueat.  
Consulendus est locus præsertim cum is dun-  
taxat ex libro S. Hieronymi, seruante Agobar-  
do naufragium euaserit. Beatus Hieronymus  
(inquit Agobardus) in suo breui & elegantis-  
simo Tractatu de similitudine carnis pecca-  
ti, contra Manichæos, hoc confirmat pro-  
posita ipsa sententia, quæ primum Adam,  
in animam uiuentem factum esse testatur;  
nouissimum in Spiritum uiuificantem, Quod  
& Psalmista duobus uersiculis explanauit,  
dicens; *Quid est homo, quod memor es eius,*  
*aut filius hominis, quoniam uisitas eum.* Homo,  
Adam accipiendus est; filius hominis, Do-  
minus intelligendus est; qui in memoriam  
ueteris uisitur, & in defuncti recordatione  
Spiritu salutis impletur; quod ipsa uerba ex-  
primunt, utem planam uidere non mirum  
sit; dum & homini memoria coniungitur, &  
filio hominis uisitatio copulatur. Illi mortali,  
quid aliud poterat superesse; huic uiuifi-  
canti, quid aliud oportebat infundi; Nam  
defunctis memoria debetur; uisitatio uiuen-  
tibus exhibetur. Quod utcumque in Domino  
per Incarnationem constat impletum, cum in  
primi commemoratione, nouissimus uisita-  
tur; & per nouissimi uisitationem, saluatur  
& primus. Huic sensui germana est illa sen-  
tentia, *primus homo, de terra terrenus, Secun-  
dus homo de celo celestis.* Quis est iste celestis?  
sine dubio qui eum quem gestabat, in baptis-  
mate fecit audire, quod ante ipsum nullus  
audierat; *filius meus es tu, ego hodie genui te.*  
Et qualiter dicitur *hodie*, si in principio uer-  
bum, & uerbum erat apud Deum, & Deus  
erat Verbum. Quia non est istud Verbum  
quod semper in Patre, & apud Patrem, & cum  
Patre fuisse, & esse credendum: sed homo,  
quem in gratiam salutis, Deus Verbum sus-  
ceperat, audiuit, hic filius hominis per  
Dei filium, Dei esse filius, in Dei filio pro-  
meretur; nec adoptio à natura seiungitur,  
sed natura cum adoptione coniungitur:  
quoniam cum Verbum, caro factum est,  
non per assumptam decreuit assumptor, sed  
in assumente creuit assumptio creatura  
enim poterat per creatorem infirmitatis  
substantia commutari; creatoris autem  
in creaturam non poterat æternitatis na-  
tura conuerti, & ideo cum dicitur *prior  
homo de terra terrenus, secundus homo è  
celo celestis*, non corporis materia se-  
paratur, sed forma uitalis; nec caro tol-  
litur, sed carnis susceptor ostenditur. Ille  
inquam qui in Euangelio ait. *Vos de infirio-  
ribus, ego de superioribus sum.* De superioribus,  
ait;



ait: non utique fiderea carne sed virtute diuina. Videtur in his verbis S. Hieronymus agnoscere adoptionem Christi. Reuera tamen si omnia attendantur, illam euerit, quod his verbis optime monstrat qui cum Hieronymi locum retulit Agobardus. [Ecce Beatus Hieronymus postquam dixit, *nec adoptio sciungitur à natura, sed natura cum adoptione coniungitur*, ut ostenderet quæ esset hæc adoptio, adiunxit: *Quoniam cum Verbum caro factum est, non per assumptum decreuit assumptor, sed in assumente creuit assumptio*. Quod supra dixit adoptio, hic inferius subiicit assumptio: Et quam supra dixerat naturam, explanauit subdendo, *assumptorem & assumptem*. Nihil ergo hic aliud significat adoptio, quam quod assumptio.] Hæc Agobardus qui in eundem sensum interpretatur SS. Hilariū & Auitum, quos retulerat facere videri adoptioni Christi.

*Adoptionis Christi assertio, an hæretica.*

100. An verò ea sententia mereatur notam aliquam, atque adeò quanta sit sententia à nobis propositæ cortitudo, controuertitur. Valquez 3. part. d. 89. cap. 6. & Aluarez d. 75. ac Feuard. in append. ad Castrum hæret. 3. censent sententiam quæ admittit Christum esse filium Dei adoptionem, esse hæreticam. Et sanè Iustinianus in edicto fidei suæ, damnat Theodorum Mopsuestenum, quod adoptionem Christi asseruisset: id quod aperte, habetur ex his verbis quæ ex eius lib. 3. de Incarn. refert Leontius. [*Et ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis*. Quamnam? nempe participare adoptionem. Hanc enim accepit ipse secundum humanitatem, baptizatus in Iordane.] Quidam item Bonosus Episcopus refertur à S. Isidoro 8. orig. cap. 5. asseruisse Christum filium adoptionem, eoque nomine damnatur à S. Innocentio I. epistola 21. & à S. Gregorio lib. 9. Registi epist. 61. Videtur Proteolum v. Bonosiaci. Tandem constat Elipandum Præfulem Toleranum, & Felicem Episcopum Vigelitanum, fuisse eiusdem iniquitatis partitios. Non enim quod fingit Papyrius Massonius in breuiculo operis Agobardi contra Felicem, obstitit Felici Elipandus, eique est aduersatus. Elipandum ergo atque Felicem, constat damnatos fuisse ab Adriano 1. & à Concilio Francofordiensi, eo quod assererent Christum esse filium adoptionem. Et quanquam Concilium Francofordiense, in causa imaginum Sacrarum, errauit in facto, damnans Synodum Nycenam secundam, ut concedit Baronius anno 794. & Bellar. lib. 2. de Conc. cap. 8. reclamantibus aliis, ut Vasque 3. p. d. 107. cap. 5. & Suare ibid. d. 54. sect. 3. cuius puncti discussio aliò pertinet. Tamen in causa Elipandi, & adoptionis Christi, Concilium Francofordiense, processit ex instructione Adriani Papæ, & ab eo est confirmatum. Quare facit certam fidem, ea ex parte. Hac ergo ex causa, Vasques & illi alij quos retulimus, tamen censent Durandum, & illos paucos Scholasticos qui Christi adoptionem admitterant, non nisi materialiter errasse, quia latebat eos Ecclesiæ

de initio, tamen nunc post eam patefactam, & erutum è latebris Adriani decretum, ac Francofordiense Concilium, non putant eorum sententiam posse ab hæresi liberari.

*Scholastici canonici liberati. Secus de Bonoso, Elipando, atque Felice, verè Nestoriani.*

101. Mihi tamen planè verum videtur, Durandum, & illos alios Scholasticos qui Christum censuerunt adoptiuium, omni nota præterquam locutionis incommode, liberandos esse. Neque enim reipsa dissident à communi sententia, qua negatur Christi adoptio, eo quod non sit persona extranea, etiam in humanitate: sed aliter statuunt de adoptione, quam cæteri: Itaque cum alij adoptionem excludi velint, eo ipso quod natura non est à Deo extranea, illi ex contrario astruant adoptionem Christi in humanitate, quia humanitas non procedit à Deo per generationem, nec est de substantia Dei, quam putant exigi ad filiationem naturalem, & ad excludendam adoptionem. Hoc autem non est litigare de re ipsa, sed de vocabulis, & eorum notione, saluo consensu quoad rem substratam. Agnoscunt enim Durandus, & qui ei suffragantur quoad Christi adoptionem; agnoscunt inquam, humanitatem Christi esse verè Dei Verbo copulatam, ac proinde non esse à Deo personaliter extraneam, sed hominem ex ea constitutum, habere connaturaliter, id est vi sui esse completi, ius ad diuinam hæreditatem; quod communis sententia, vocat filiationem naturalem, & affirmat excludere adoptionem. Durandus autem, & qui ei assilulantur, quauis admittant in Christo totum illud quod communis sententia vocat filiationem naturalem, negant tamen sic debere vocari; quæ (ut vides,) est mera lis de vocabulis.

Aliter tamen statuendum est de aliis puerisque, qui asseruerunt Christum esse filium adoptiuium, ut de Bonoso, & (quicquid Facundus dicat) de Theodoro Mopsuesteno, nec non de Elipando & Felice. Hos enim omnes, verisimilius est asseruisse Christum adoptiuium in sensu Nestoriano: nempe admittendo in Christo duas personas, quarum vna sit creata, nec Dei Verbo iungatur nisi per affectum. Nestorium enim errorem suum hausisse à Theodoro Mopsuesteno, latissime probat Leontius lib. contra Nestorium & Eutichem. Itaque verisimilius est, Theodorum in eodem sensu vocasse Christum adoptiuium, in quo postea Nestorius locutus est, vocans Christum Deum, & Dei filium, duntaxat per affectum, quod est esse filium adoptiuium.

De Elipando idem habetur, ex scriptis tunc aduersus eum libris ab Ethezio Episcopo, & Beato Presbytero, nuper t. 8. Bibl. Colon. euulgatis quorum priore infinities repetitur, Elipandum in sensu Nestoriani vocasse Christum, filium adoptiuium; quia agnoscerebat



gnoscebat in eo personam creatam, & eum dividebat in duos. Item Elipandus initio sui symboli, quod extat apud Etherium & Beatum lib. 1. exponit vnionem humanitatis ad Verbum per affectum & similem qui vnit coniuges; qui est apertus Nestorianismus: Eoque nomine quod esset Nestorianismi instigator, damnatus est Elipandus in Conc. Francofordiensi anno 794. & epistolam Adriani Papæ, cum iam ante præcessisset eiusdem damnatio in Concilio Foriuliensi, sub Paulino Aquileiensi anno 791. Itemque alia in Concilio Ratisponensi anno 792. vt ad singulos annos signatos notat Baronius. Quem virgo peperit, non esse filium Dei, Elipandi fides est, i aiunt Etherius & Beatus lib. 7. in eum. Aliud autem non docuit Nestorius. Tandem tamen respuisse Elipandam, refert Mariana lib. 7. hist. Hispan. cap. 8.

At Felix Vigilitanus Elipandi affecta, & ipse Nestorianus, in peccatis suis infelicitate obire, vt significat Vvalafridus lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. addens ex quo infelix Felix deiectus est, inductum fuisse in Gallia & Germania vsum cantandi symbolum Constantinopolitanum, ad profitendam Catholicam de vno Dei filio doctrinam, quem Felix cum Elipando distrahebat in duos filios, vt videre est apud Ionam Aurelianensem horum prope æqualem; quippe qui Claudium Tauricensem Hispanum, & Felices Vigilitani discipulum confutauit. Ionas lib. 1. de Imaginitio damnans Felicem & Elipandam de quorum in seducendis plebique prouincis, (etiam extra Hispaniam,) peruerso studio multa refert, Nestorianismi eos inculcare perspicue, item auctores qui scripserunt tempore Caroli Magni, atque adeo illo ipso tempore quo grassabatur Elipandi & Felicis error, vtiqueque damnant Nestorianismi, vt clarissime & disertissime tradit Paulinus, totis septem libris contra Felicem, & idem Paulinus in sacro syllabo: vbi sub medium, refert eos in Christo agnouisse duos filios; Dei vnum, hominis alterum. In epistola item Synodi Francofordiensis ad Episcopos Hispaniæ, sub finem, hæc dicitur esse ipsissima Nestorij hæresis. Audiendus pro omnibus Aluinus lib. 3. de Trinit. cap. 9. cuius hæc sunt verba. [Æterna diuinitas filij, cum plena humanitate sua, vna est in Sancta Trinitate persona, & hæc non adoptiua, sed propria, & perfecta, & ipse totus in Diuinitate, ac humanitate sua vnigenitus, & verus filius Dei. Ideo cum Patre, & Spiritu Sancto verus est Deus: non nuncupatus, sicut Hispanica hæresis impia temeritate affirmare præsumpsit, asserens Dei filium in diuina natura, Deum esse verum, & in humana nuncupatum. Similiter & in diuina natura proprium filium Dei, & in humana adoptiuum: diuidens vnā personam filij Dei, cum Nestorio, in duas personas id est veri filij & adoptiui: cum certissimum constet, in illam personam quam habuit æternaliter de patre genitus Dei, filium, humanam assumpsisse naturam; quam nemo Catholicus, adoptiuam esse ausus est dicere.] Ex eiusdem quoque Aluini

Epistola ad Leidradum Lugdunensem, Nebridum Narbonensem, & alios, perspicuum est S. Benedictum Antanensem in Septimana Abbatem cum iisdem Præsulibus in Hispanias profectum, valde laborasse vt hæc hæresis extirparetur, & Dei beneficio id esse assecutum, cum prius suo studio & frequentibus disputationibus vt habent eius Acta, effecisset vt Septimana in qua degebat, à peruerso hoc & nefando dogmate & pestifero perfidia errore (sic de placito Felicis loquuntur Acta) aut præseruaretur, aut liberaretur, sanatis plerisque inferioribus, & conuictis multis Præsulibus. Specialiter contra Felicem scripsit Agobardus. Non quod Felice decreto Synodi Francofordiensis, (vt Ado refert,) relegato Lugdunum, Agobardus timeret, plebi sibi concredita, & idcirco stylum in eum strinxerit: (conuictus enim erroris Felix simulauit penitentiam, nec apertè visus est relabi, dum vixit: sed quod moriens, schedam errore quem aliàs damnarat, inquinatam reliquisset, quam nonnulli putarent legitimam, vt Agobardus initio illius lucubrationis ad Ludouicum Imperatorem præfatur. Toto autem eo libro Agobardus, Felicem impugnatur, vt manifestum Nestorianum: quodque consideratione dignissimum est, obseruat Nestorium cuius varia dicta refert, plerumque vnā duarum Christi naturarum fateri personam, subdole id accipientem, de vnitatem per affectum: nec aliter Felicem interdum loqui, sed eodem sensu. Ideoque tradit Agobardus, Felicem valde allaborasse vt caput & corpus mysticum Ecclesiæ, tanquam vna persona acciperentur; inde videlicet gradum sibi facturum ad suum errorem; vt sicut corpus & caput mysticum non sunt vna persona, nisi affectu, ita neque duæ Christi naturæ, essent aliter vna persona: quæ est verus & merus Nestorianismus. Hæresis huius Felicianæ, (ita enim appellant) damnationem primam anno Christi 792. factam in Synodo Regenspurgeni coram Carolo Magno celebrata, mdxque iteratam eiusdem damnationem ab Adriano Papa factam, præsentem & errorem suum, retractante ipso Felice; tandem anno 794. tertio factam eiusdem hæresis damnationem in Synodo Francofordiensi, tradunt Annales Francorum à Pithæo editi, & Monachus S. Eparchij in vita Caroli Magni.

*Filiatio Dei naturalis temporaria.*

*an Christo concedenda.*

*Pars negans.*

103. Fixum itaque esto, Christum in humanitate esse Dei filium naturalem, non adoptiuum; tamen id non sit de fide, nisi in sensu quo à Nestorio receditur, & vnica in Christo persona, vniqueque Dei & hominis filius, statuitur. Difficultas verò hinc subnascitur inter Scholasticos, cuiusmodi sit ea Christi filiatio naturalis in humanitate; an scilicet sit ipsamet filiatio æterna; quod hæcenus ante Suarez, & Vasquez



Vasquem, duo (vt ait) scholastici belli fulmina, omnibus visum, affirmat Basilius Poncius relect. 4. eam veterem sententiam late confirmans. Nam quomodo Christus quatenus homo potest censerī filius naturalis, denominatione petita aliunde quā ab ipsa Verbi persona? Si enim quod noua illa à duobus prædictis recentioribus cula sententia affirmat, denominatio filij naturalis petatur ex gratia vnionis, vana erit & fundamento vacua denominatio; cum ea gratia sit creata, nec sit processio viuētis à viuēte in naturæ similitudinem. Cuius verò filium naturalem diceremus Christum per eam gratiam? Non sanè Patris solius: nam ea gratia est opus totius Trinitatis, & eam æquè respicit. Sed neque dici potest, Christum per eam gratiam, constitui filium totius Trinitatis. Sic enim filius esset filij, hoc est suimetipsius. Præterea hoc pacto inueniuntur in Christum multæ filiationes naturales; nempe vna æterna & increata, altera temporalis & creata, præter purè temporalem & ordinis naturæ, qua Christus referebatur ad Deiparam. Tandem hoc pacto, nouum & peculiare genus adorationis supremo latræ cultu depressius, Christo debetur: contra quā vbique edicunt scripturæ, quæ Christum iubent adorari vt Deum, cultu eminentissimo.

*Affirmans astruitur.*

164. Nihilominus contraria sententia videtur explorata. Vt enim ex dictis constat, ea est filiatio naturalis qua habetur ius ad hæreditatem Dei, vi proprij esse substantialis; ita vt persona per illud esse constituta, non sit extranea Deo, sed sit aliquid eius, ac proinde Deus connaturaliter ei debeat gloriam: hoc quippe est, esse filium, non adoptiuum; ac proinde est esse filium naturalem: sin minus eo propriissimo modo quo filiatio naturalis fundatur in processione viuētis à viuēte, (quod vnum probat Basilius Poncius, vt liquet ex vltima argumentorum classe quæ ex ratione ducitur; ) at saltem alio modo, qui & verus sit, & proprius, tamen minus quā mille. Talis filiationis modus, tribuendus esset homini quem Spiritus sanctus hypostatice assumeret. Non enim esset filius adoptiuus, & tamen esset filius, ei que hæreditas deberetur. Esset igitur filius naturalis. Atqui modus iste filiationis, cadit manifestè in Christum. Nam prout constitutus ex gemina natura, secundum vtramque est naturaliter coniunctus Deo, quod de Christo prout subsistente in natura diuina, est per se euident. Sed neque negari de eo potest, quatenus subsistit in humanitate. Nam humanitas prout vnita Verbo, non potest dici extranea Deo, cum sit eius humanitas: ita vt homini ex hac humanitate & Verbi substantia constituto, connaturale sit ius ad hæreditatem diuinam. Igitur præter filiationem æternam, quæ est Verbi vt in Deitate subsistentis, cernitur in Christo alia filiatio temporalis, exurgens ex substantiali terminatione huma-

nitatis per vnionem ad Verbum factum in tempore. Quæ est illa filiatio naturalis, quam Recentiores explicatius proposuerunt: non negarunt autem antiquiores, tamen si quia hæc filiatio consequitur personam Verbi terminantem hypostatice naturam nostram, merito Recentiores prædicti, & præserunt eam per filiationem æternam, tanquam per radicem, non tamen tanquam per formam immediatè sit denominantem. Sanè Adrianus Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, hanc filiationem Christi ab æterna distinctam, agnouisse videtur, cum verba illa ex Matthæo, *Hic est filius meus dilectus in quo, mihi bene complacui*, docet ad totam Trinitatem pertinere. Ideo enim notat, non esse dictum placui, sed *complacui*. Filiatio autem æterna, non respicit totam Trinitatem, sed solum Patrem. Nec moror vi argumenti quatenus loco illi Euangelico nititur; sed tantum attendo argumentantis mentem, & quid ex eo loco illatum voluerit. Non debuit igitur ea filiatio, recens causa videri. Sed non potest meliùs lux plenior & firmitas conciliari sententiæ eam filiationem naturalem ab æterna distinctam admittenti, quā si difficultates in eam superius in totæ dissoluantur, quod facile est præstare.

*Dissoluitur prima ratio in contrarium, ex adoptionis nostra fonte seu gratia, Christo communi.*

105. Primam quæ ducebatur ex eo quod per gratiam vnionis Christus non procedat à Deo vt viuens à viuente in similitudinem naturæ, iam præclusi, negans id esse necessarium ad filiationem, quamcumque naturalem respectu Dei. Nam quamuis ad propriissimè denominandum aliquem filium Dei naturalem, exigatur vt ex vi Originis sit similis suo principio in natura quam ab eo accipit; idque non nisi in Verbum æternum cadat, & in Christum ratione filiationis æternæ: tamen dari potest alia minus propria, tamen etiam propria & veta notio filiationis diuinæ naturalis, ex eo ductæ quod natura intellectualis creata coniungatur Deo personaliter, indeque substantialiter sanctificata, accipiat connaturale ius ad gloriam & hæreditatem Dei, non vt subiectum extraneum, sed vt habens ad id ius vi sui esse ad Deum pertinentis: quod est esse filium Dei aliquo tandem modo. At non est ea filiatio per adoptionem, quæ respicit subiectum extraneum, & solo affectu Deo coniunctum, absque vlla connaturalitate & exigentia fundata in esse talis subiecti, eiusque constitutione naturali. Igitur est filiatio naturalis, distincta ab æterna quæ fundatur in origine & processione viuētis à viuēte in similitudinem naturæ. Aduersarius autem vel negare cogetur, Christum vi vnionis, saltem vt viæ, sanctificari & accipere ius ad Dei hæreditatem; quod liquet negari non posse: vel certè adigeretur admittere ius illud non esse annexum filiationi, quod esset ridiculum.



# Christus filius Dei, naturalis &c. 51

ridiculum. Nam si filius, & hæres per Deum ac viceversa. Si enim sanctitas pure creata & accidentaria potest constituere filios, quia dat ius ad hæreditatem; quid id in multo magis possit sanctitas substantialis? At non esse eam filiationem adoptivam, cuiusmodi est nostra, liquet ex eius fundamento: & ex eo quod non exurgat ex affectu ad subiectum extraneum. Est igitur naturalis; non quidem sublimissima & propriissima, quæ est tantum æterna, sed inferior & temporalis, vera tamen & propriè dicta, habens pro via rationem hypostaticam, pro forma autem immediatam, sanctitatem increatam, huic subiecto applicatam interuentu vnionis.

Hæc est prima ad difficultatem propositam responsio. Potest & secunda addi; admittendo, Christum vi suæ productionis procedere viventem à vivente in similitudinem naturæ; idèque esse filium naturalem. Verè enim Christus homo Deus, tunc tantum generatur atque producit, cum vnio hypostatica humanitatem & Verbum colligans, ponitur. Eamque vnionis hypostaticæ causationem, nomine generationis Christi in scriptis designari, neminem latet. Eo quippe pertinet illud Isaïæ, iuxta plurimorum Patrum interpretationem, *generationem eius quis enarrabit*. Et illud Psalms, *ex utero me luciferum genui te*. Christus igitur homo Deus, vi productionis quam accipit cum humanitas vnitur Verbo diuino, procedit in similitudinem imò quod multo plus est, in identitatem naturæ cum Deo producente: quod præter hanc generationem, sola Verbi æterni generatio habet. Atque ita est verè ac propriè filius Dei naturalis.

*Ad secundam difficultatem de Christo sui ipsius ac Spiritus sancti filio.*

106. Quod secundò obiciebatur, Christum fore filium naturalem sui ipsius, atque etiam totius Sanctissimæ Trinitatis, non debet incommodum videri, agendo de hac filiatione. Christus enim denominatur hoc modo filius, ex vi vnionis; quæ persona Verbi eaque mediante, diuinitas, coniuncta est humanitati; vnde sublimissima illa eius sanctificatio dimanauit, & ius ad Dei hæreditatem; est illi exortum. Atqui tota Sanctissima Trinitas eam vnionem est operata, quia eius productio est actio ad extra, quæ est toti Trinitati communis. Igitur relatio filiationis inde adueniens huic subiecto, respicit totam Trinitatem, vt est vnus Deus, operans ad extra, & perfundens sanctitatem suam essentiali hanc naturam humanam, quæ sola est verum subiectum inhaesionis cui aduenit relatio prædicta: licet denominet personam. Atque ac relatio filiationis temporalis ad matrem, efficit solam humanitatem; etiam si personam quoque denominat. Itaque Christus, agendo de filiatione temporali, potest dici naturalis filius sui ipsius, provt Verbi Dei, & filij naturalis filiatione æterna. Cauenda tamen est simplicium hallucinatio. Vox enim filij, sonare solet diuersitatem personæ in eo qui filius dicitur, ab eo cuius fi-

lius dicitur: quæ diuersitas non habet locum in Christo ad Verbum diuinum comparato. Quare non erit ea locutio adhibenda, nisi adiungatur idonea interpretatio, quæ constet Christum dici filium naturalem Verbi, salua identitate personæ. Cautio item conueniens adhibenda erit, si Christus dicatur filius naturalis Spiritus sancti, ne quis inducatur in errorem; existimans vel Christum dici filium Spiritus sancti, vi æternæ generationis; vel certè vi humanæ productionis de Spiritus sancti substantia. Exponendum ergo erit, eatenus tantum, Christum dici naturalem Spiritus sancti filium, quatenus Christus per vnionem internam sibi & connaturalem, à tota Trinitate effectiue procedentem, sanctificatur sanctitate efficienter communi toti Trinitati, indeque acquirit ius peculiare ad hæreditatem diuinam.

*Enodatur tertia difficultas, admissis pluribus in Christo filiationibus Dei naturalibus.*

107. Tertia difficultas, euanesceat ex dictis. Nihil enim incommodum est, concedere in Christo plures filiationes naturales. Et de æterna quidem non est dubitatio, si Christus spectetur quæ Verbum duntaxat. Sed & ad Christum hominem aptari potest ea filiatio, quatenus eius humanitas terminatur immediatè per personam filij naturalis. Quo adduci possunt omnia quæ Basilii Ponicus proferebat de Patribus & Scholasticis, pro ea sola filiatione in Christo agnoscenda. Ad summum enim probant, eam filiationem in Christo homine reperiri, quamuis non solam. De temporali quoque filiatione ordinis naturalis, quæ Christus respicit matrem, non potest esse controuersia: Christus enim est filius naturalis Deiparæ, æquè ac alij filij, sunt naturales filij matrum vulgarij. Estque ea relatio non rationis tantum, sed verè realis, vt rectè affirmant Aquilanus in 3. d. 8. qu. 2. & ibidem Durand. qu. 3. num. 17. Rade in 3. controu. 6. art. 3. Toletus in c. 1. Lucæ annot. 82. ac Suarez t. 2. 3. p. d. 12. f. 2. malè reclamantibus Thomistis 3. p. ad. q. 35. & ibidem Valentia d. 2. qn. 2. part. 4. De his igitur naturalibus filiationibus quæ fundantur in origine & acceptione eiusdem naturæ, non est difficultas: sed tantum de illa temporali sublimissima filiatione, quæ non fundatur in communicatione eiusdem naturæ diuinæ, sed exurgit ex temporali terminatione humanitatis. Eam ergo negamus pugnare cum illis aliis filiationibus naturalibus Christo competentibus ex alijs fundamentis. Possunt enim totidem relationes multiplicari in vno subiecto, quot sunt varij termini ad quos referuntur, vel variz rationes fundandi respectum, ex quibus constituentur formaliter multiplicia relationum fundamenta in eodem subiecto.

*Procluditur*



*Proluditur expeditioni quarta difficultatis, exposita multiplici adoratione Christo debita.*

108. Ut postrema difficultas aptè dissolvatur, rectèque perspicatur quæ adoratio Christo debeat ratione huius naturalis filiationis temporariæ, distincta à cultu eidem aliis titulis debito, discernenda sunt in Christo varia fundamenta adorationis, quæ Christo inexistunt præter nudam humanitatem, cui planè à Verbo præcisæ, ac ne moraliter quidem per illud dignificatæ, nemo adorationem ex se detulerit. Est ergo in Christo persona Verbi, quatenus in diuinitate subsistens, & eadem quatenus subsistens in humanitate. Insuper est in Christo sanctificatio substantialis, consequens unionem hypostaticam Christo item internam, & fundatam relationem filiationis naturalis temporariæ. Et denique est in Christo sanctificatio accidentaria, per dona creata supernaturalia & infusa.

Posset verò præterea considerari Christi humanitas quatenus iuncta quidem de facto cum persona Verbi, tamen terminans actum aliquem nostrum religiosum ad ipsam seorsim à Verbo terminatum, propter moralem dignitatem quam ex vniione ad Verbum consequitur. Sed in ea humanitatis Christi consideratione, non hæreo, quia in cultu humanitatis sic spectatæ, non involuitur directè persona; nec Christus est qui colitur directè quod est hoc loco institutum nostrum. Obiter tantum dico, tametsi Valentia 3. part. d. 1. qu. 24. p. 1. Vasq. d. 96. Ragusa tit. 2. d. 42. & Castro Palao in opere Morali tract. 8. d. 1. p. 2. num. 4. adorationem illam humanitatis sic consideratæ repudiant; tamen amplectendam esse sententiam D. Thomæ 3. p. qu. 25. art. 2. ad 1. cui subscribunt Canisius lib. 5. Mar. c. 15. Picus Mirand. q. 3. apolog. & Suarez t. 1. 3. p. d. 53. f. 3. Affirmant rectè hi DD. in adoratione humanitatis sic conceptæ, nihil contineri iure reprehendendum; cum addit obiectum dignum cultu infra diuinum, & superante cultum puris creaturis debitum: sicut est etiam obiectum amoris supernaturalis, inferioris amore super omnia qui soli Deo in seipso debetur, & superioris dilectione quæ honestè possit impendi puræ cuiusque creaturæ. Nec refert, quod hæc humanitas si sub alia aliqua consideratione spectetur, possit esse obiectum adorationis altioris. Non enim est semper necesse, deferre cultum præstantissimum qui possit obiecto deberi, sed sufficit deferre commensum titulo qui tunc de facto obuersatur ut ratio adorandi. Quod obiter dictum esto, ut intelligatur quid absque errore fieri possit. Quamquam vsus Ecclesiæ, in publica præsertim adoratione, non fert, ut Christi humanitas sic adoretur, ne illaqueatür simplices, & obiciantur Nestorianis in periculo; quod declinatur cum Christi humanitas modo nobiliore colitur; quatenus scilicet simul cum Verbi persona coadoratur, & latius perfectam terminat. Sed de hoc cultu non plura, quia est extra presens in-

stitutum; nec est adoratio Christi, sed humanitatis; tamen si ut pertinentis ad Christum, & à Verbo coniuncto dignificatæ.

109. Ipsius Christi adoratio, ut est Verbum subsistens in Deitate, vacat difficultate, nec de ea quaeritur. Christi item adoratio proptè continet Verbum subsistens in humanitate, certa esse debet, eamque contra impium Apostatam Richerium, latè confirmat Feuard, in appendicè ad Castrum V. Christum hæresi 5. & contra eius combibonem Lambertum Danæum, Val. 3. p. d. 1. q. 24. p. 1. sicut enim persona regia si vilibus amicitur indumentis, non exiit regia dignitate & fundamento cultus humani supremia neque diuina persona, ex eo quod carnem assumpserit, spoliavit se iure adorationis supremæ, sibi quatenus Deo debet. Vnde hæc persona, etiam in humanitate subsistente in Verbo, adoranda est cultu supremo. Quamquam in aliqua varietate loquendi de eo cultu diuinæ personæ prout in humanitate subsistens, castius & Conciliis ac Patribus conformis loquuntur, qui dicunt adorationem Christi sit spectatæ; terminari per se primò ac principaliter ad personam in humanitate subsistentem ipsam verò humanitatem diuinæ illi personæ coniunctam, coadorari; id est perfectam illam adorationem qua Verbum in Christo adoratur, refundi quoque in humanitatem Verbo coniunctam, & ad eam terminari per se secundò ac minùs principaliter quam ad Verbum: ita ut non sint duæ adorationes, (quod S. Cyrillus disertè negat in defens. 8. anathematismi & l. de fide ad Reginas, lib. 8. & Conc. Ephesinum canone 8. ac quinta Synodus can. 9.) sed sit vnica adoratio principaliter & per se primò terminata ad personam; simul autem & concomitante; nec per accidens, (ut cum æquiuocationis periculo loquitur Dur. in 3. d. 9. q. 2. n. 7. & 11.) Sed per se secundò, quamvis per aliud, aut vti alij loquuntur, ex consequenti; id est propter personam, terminatam ad humanitatem quatenus tali personæ coniunctam per se ac physice. Exemplum accommodatum desumi potest ex corpore, quod in sancto coadoratur cum anima: quia enim corpus per se vnitur animæ, & per se spectat ad hominem, habentem in anima sua fundamentum adorationis iusto debitæ; propterea corpus coadoratur: hoc est, per se secundò & minus principaliter adoratur. Alij cum S. Epiphano in Anchorato, & Augustino serm. 58. de verb. Domini in fine, idem declarat exemplo purpure Regiæ, quæ coadoratur cum Rege. Verum purpura non vnitur Principi, sed ei merè adiacet, & idcirco tantum per accidens coadoratur; qui defectus non cernitur in exemplo corporis, quod in sancto coadoratur cum anima, cui physice ac per se coniungitur. Itaque quamquam purpuræ exemplum non sit inuile, alterum tamen aptius est.

Sicut autem hic humanitatis cultus est tantum coadoratio, principalis verò tendentia est ad personam; ita viceuersa, si attendamus cultum qui potest Christo exhiberi ratione donorum habitualium accidentalium, cultus principaliter terminabitur ad humanitatem: diuina verò persona coadorabitur tantum



tantum, ratione scilicet coniunctionis cum natura humana, cui inest titulus inferioris huiusce cultus. Nec est ea Christi adoratio repudianda, tanquam minus consentanea homini Deo, cum non sit nisi hyperdulia, & eadem cum ea quæ Sanctis ob similia dona debetur, intensiue tamen minor: sicut etiam adorationis huius fundamentum, in aliis Sanctis est gradualiter & intensiue longè minus. Non est inquam idcirco ea adoratio Christo neganda, quia nihil vetat ex parte diuersarum honoris causarum, multiplicare adorationes Christo debitas, dummodò ex parte personæ adoratæ vnica adhibeatur, vt læge sanciant Concilia Nestorium damnantis; qui fuit Christum soluebat, ita & eius adorationes multiplicabat ex parte personæ adorationem terminantis. Quemadmodum ergo si in eandem personam concurrant titulus dignitatis Regiæ & Ducalis, nihil obstat quin vnica illa persona, ex parte diuersarum honoris causarum, diuerso honore afficiatur: ita idem contingit in re præsentī. Hæc est triplex Christi adoratio aliis illis titulis debita, quam naturalis filiationis temporariæ.

*Enitur enodatio quarta difficultatis, admissa adoratione peculiari, fundata in filiatione naturali temporaria.*

110. Sicut autem pro tribus illis diuersis cultus adorationis, triplicem Christo cultum salua personæ adoratæ vnitate tribuimus; ita quod in difficultate postremo proposita agitur, sciendum est dari peculiarem adorationem respondentem filiationi naturali temporariæ, qua Christus ob sanctificationem substantialem est honore & adoratione dignus: non quidem adoratione supremæ latitæ, sed tamen adoratione quæ in nullam puram creaturam potest cadere; ne in gradu quidem minore, quod tamen admissum est de adoratione titulo gratiæ habitatis & donorum infusorum. Hæc enim idcirco in gradu minore potest conuenire puris creaturis, quia fundamentum; nempe gratia accidentaria, est illis cum Christo commune, etiam si in minore gradu quam Christo. At fundamentum adorationis de qua agimus, etiam si posset diuina vi aliis creaturis à Deo assumptibilibus competere, tamen attendendo quod factam est re ipsa, conuenit soli Christo; cuius solius humanitas fuit Verbo copulata, atque adeo sola accipit à Verbo substantialem sanctitatem in qua hæc adoratio fundatur. Quia verò ea substantialis sanctitas & filiatio naturalis ad eam consequens, non æquat filiationem æternam, & increatam sanctitatem Deo ipsi internam, à qua in humanitate refunditur, secundum prudentem æstimationem, attendita physica vnione humanitatis ad Verbum, propterea hæc adoratio, est minor adoratione suprema quæ debetur Deo in se spectato, ratione diuinæ dignitatis secundum se consideratæ. Gabriel lect. 49. & 50. in Caro.

eam appellat latram secundum quid. Alij vocant latram inferiorem. Alij hyperdulam fundatam in dono puris creaturis incommunicabili. Parum refert quo nomine insigniatur, dummodò admittatur, & à cæteris prædictis adorationibus Christo penes alia fundamenta debitis secernatur, vt nos fecimus. Itaque liquet, perperam obici sententiæ à nobis positæ de filiatione naturali temporaria, quod ea admissa, inuicendum sit peculiare adorationis genus à supremo latræ cultu distinctum, & fundatum in hoc peculiari titulo, depreffiore diuina dignitate secundum se considerata, & æterna, ac imparticipata.

*Firmatur diuina naturalis filiatio temporaria, ex nonnullis Patribus.*

111. Expositum ex dictis manet, cuiusmodi fuerit filiatio Christi naturalis respectu Dei: nimirum non æterna dumtaxat, sed etiam temporalis, & fundata in vnione tanquam in via ad sanctitatem substantialem ex Verbi coniunctione refundendam in humanitatem. De qua filiatione, intelligendus præsertim est locus cæterò qui obscurus apud S. Hippolytum hom. contra hæresim Noëtii, qua sic de Christo Dei filio loquitur. [Qualem igitur filium suum Deus per carnem misit, nisi Verbum quod à principio scilicet filium vocauit, quia futurum erat vt ortum caperet? Et cum filius vocatur, commune nomen amoris erga homines sumit. Nec enim Verbum per se, & sine carne, perfectus filius erat, cum tamen esset perfectum Verbum, vnigenitus. Neque caro per se sine Verbo, subsistere poterat, quia in Verbo habebat (τὸ ὄντως) id est in Verbo subsistebat. Sic ergo vnus filius Dei perfectus, manifestatus est.] Ita S. Hippolytus, qui commune nomen amoris appellat filiationem Christo competentem, quia nos quoque ad titulum filiorum Dei atque adeo fratrum Christi, euecti sumus per Christi gratiam & merita. Addit autem, Verbum ante carnem assumptam non fuisse perfectum Dei filium, quia Verbum nudum non est filius Dei naturalis, filiatione illa temporali quam exposuimus. Minus autem placet, quod Turrianus in notis ad eam homiliam num. 13. ait, filium Dei factum esse perfectum filium, carnis accessu, quia factus est filius hominis, & perfectus Christus; iuxta illud quod profert ex S. Cyrillo lib. 2. pentabibli [corpus vnictum Verbo, Christum vnum, & filium, & dominum perfecit.] Quo etiam adducit similem locum Leontij Bizantij lib. 1. contra Nestorium & Eutychem. Adde & illud Antiochi hom. 130. [duæ naturæ vnite, perficiunt nobis vnum Christum, & filium.] Hoc dico minus placere: quia S. Hippolytus non ait, Christum ante Incarnationem non fuisse perfectum Christum; nullo enim modo tunc erat Christus: se ait, Verbum non fuisse filium perfectum, quod æquius est accipere de filiatione naturali & ordinis diuini; quam de filiatione fundata in generatione ex matre, quæ est essentialiter naturalis. Penes eam ergo



ergo filiationem naturalem ordinis diuini, fundatam in vnione hypostatica, Verbum ante Incarnationem non erat naturalis Dei filius perfectus, siue completus, quia deerat illi hæc filiatio quam diximus.

Et quia eam filiationem induxit Deipara, propterea iuxta aliquos ab Hefychio Hierosolymitano hom. 2. de Deip. laudibus, in hoc sensu est appellata *complementum Trinitatis*, nempe efficienter non formaliter: quem Hefychij sensum, ex Hieronymo de Florentia profert & approbat Salazar in cap. 8. prouer. num. 300. alijs tamen præterea eiusdem dicti interpretationibus prolatis, quæ illi multo minus ad rem, aut ad mentem Hefychij esse videntur. Alij tamen aliter eum titulum Deiparæ accipiunt, iuxta quos germanissima interpretatio dicti illius Hefychiani, est Deiparam complexisse quod tota Trinitas pro nobis & redemptione nostra præstitit. Monstrauerat enim Hefychius totam Trinitatem interuenisse ad nostræ salutis negotium, quia virtus altissimi quam interpretatur *patrem æternum*; obumbravit Virginem: eidem superuenit Spiritus sanctus; filius autem carnem assumpsit, & Virgo multiplicem causalitatem circa Christum Saluatorem nostrum adhibuit; quod est complere Sanctissimæ Trinitatis negotiationem pro nobis. Hæc illis alijs videtur mens Hefychij germana. Ex fatore omnes has interpretationes posse cum verbis illis Hefychij si ab antecedentibus abungantur, coherere. Si tamen ea verba (vt par est) sumantur vt nexa antecedentibus, longè alium sensum faciunt, nec hæc pertinent, de quo diligentius in Observationibus ad Nomenclatorem Marianum.

*Christus penes quamcunque Dei filiationem, vnigenitus.*

112 Sunt igitur duæ in Christo filiationes naturales, per ordinem ad Deum; vna æterna, temporalis altera. Vtramuis autem naturalem filiationem respectu Dei in Christo spectemus; nempe vel æternam adiuncto carnis accessu denominatam de nouo; vel temporalem ex vnione derivatam tanquam ex via, constat Christum esse Dei vnigenitum. Nemini enim alteri obigit naturalis filiatio diuina increata; quia nullus alius euectus est ad participationem diuinæ personalitatis Verbi. Nullus item alius, fuit filius naturalis, filiatione creata vnionem hypostaticam consequente, quia nullus alius adeptus est sanctificationem substantialem. Quare Christus est vtroque illo modo vnigenitus filius. Scid frequentius esse; vt vox *Vnigeniti*, vsurpetur ad significandam solam filiationem æternam nudam; & ab humanitate seiunctam: quod Toletus in cap. 1. Ioan. annot. 45. fusè demonstrat prolatis angonibus Arianorum ad argumentum Callidicorum, vt S. Fulgentij 3. ad Trasim. cap. 4. desumptum ex voce *Vnigeniti* tributa in Scripturis Verbo Dei. Quia tamen Ioannis 1. Christus ipse, id est Verbum carne amictum, vocatur *vnigenitus patris*, verbis illis, *vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit*, quod

non Verbum nudum, sed carne vestitum præstitit: propterea non abs re pronunciamus Christum esse vnigenitum Patris duplici modo; nempe & filiatione æterna & temporali. Quanquam agendo de priorè filiatione, nomen *Patris* sumendum est notionaliter, & arcandum ad primam Sanctissimæ Trinitatis personam: ita vt sic sensus, Christum esse vnigenitum æterni Patris, qui est fons totius diuinitatis. Et in hoc sensu S. Zeno serm. 2. de æterna generatione, vocat Christum, *vnigenitum Patris, cordis eius nobilem inquilinum*. Agendo autem de posteriore filiatione, nomen *Patris* in ipsum quoque Dei Verbum, & in Spiritum sanctum cadit. Ea namque secunda filiatio, æquè spectat omnes personas, vt superius annotaui. Valere de vtraque hæc Christi filiatione potest, quod S. August. in Psal. 88. ad illud *similis erit Deo in filiis Dei*, his verbis pronunciat. [Ergo nemo in filiis Dei similis erit filio Dei. Et ipse dictus est filius Dei, & nos dicti sumus filij Dei. Sed quis erit similis Domino in filiis Dei? Ille vnus, nos multi. Ille vnus, nos in illo vnus. Ille natus, nos adoptati. Ille ab æterno filius vnigenitus per naturam: nos à tempore facti per gratiam. Ille sine vilo peccato; nos per illum liberati à peccato. *Quis ergo in nubibus aquabitur Domino? similis erit Deo in filiis Dei*. Dicimur nubes propter carnem, & sumus prædicatores veritatis propter imberem nubium. Sed caro nostra aliter venit, caro illius aliter. Dicimur & filij Dei, sed ille aliter filius Dei. Illius nubes ex Virgine, ille Filius ex æternitate æqualis Patri. *Quis ergo in nubibus aquabitur Domino? aut quis similis erit Domino in filiis Dei?* idem Cyrill. Ep. ad Monach. Egypt.


113 Pulsat verò illic animus eius qui Christum audit vnigenitum dici, quomodo ea appellatio coherere cum titulo primogeniti, quæ item Christo adscribitur in Scripturis. Ac ne dicas, primogenitum dici etiam illum qui vnigenitus est, quod notauit S. Cyrillus 10. Thesaur. cap. 4. demonstrans Verbum nudum dici posse primogenitum Patris, quamuis sic aperit vnigenitum, quandoquidem Christus Lucæ 2. dicitur primogenitus Deiparæ, cui tamen vnicus filius fuit; Ne inquam hoc dicas, & eo pacto elidat difficultatem propositam censeas, facit quod Christus ab Apostolo Rom. 8. dicitur *primogenitus in multis fratribus*. Habet igitur Christus fratres, respectu quorum primogenitus appelleretur. Quomodo ergo est vnigenitus? Hanc difficultatem fusè excutiam infra sect. 4. cap. 11. Nunc obiter dico, vtrumque illam titulum probè coherere: quia Christus vnigenitus est ratione vnionis ad Verbum, quæ est gratia Christo propria; & primogenitus ratione gratiæ quam habet cum alijs communem, salua prærogatiua præcellentiæ.

*vsus doctrinæ.*

Insignem vsum doctrinæ de Christo Dei filio, subministrat S. Bernardus serm. 1. in Octaua Paschæ, tractans illud, *quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei?* Illam enim mundi victoriam quam



quam filius Dei adoptiuus ad imitationem filij naturalis congruentissimam esse docuerat, fide fieri contestatus, ea inquam fide, quæ credit, Iesum esse Dei filium, subdit. Verumtamen potest forte mouere, quod tam multos videmus credentes Iesum filium Dei esse; a huc tamen mundi nihilominus cupiditatibus irretitos. Quid ergo ait; *quis est qui vicit mundum, nisi qui credit quia Iesus est filius Dei*, cum & ipse iam mundus id credat? An non ipsi quoque dæmones & credunt, & contremiscunt? Sed dico: putæne filium Dei reputat Iesum, quisquis ille est homo, qui ipsius, nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is etiam si fateatur se nosse Deum, factus tamen negat? Quandoquidem autem prædestinati diuinitus sumus, conformes fieri imagini filij Dei, enitatur diuinum de nobis beneplacitum explere, referendo moribus naturalem Dei Filium quantum per humanam imbecillitatem, fas erit.



## CAPVT II.

## Christus, Agnus Dei.

114 **M**ERITO Agni Dei titulum subnecto titulo filij naturalis. Non enim quod quispiam audito agni nomine fortassis existimaret, considerandas sub agni nomine suscipio Christi doctores, quarum plerumque Agnus est Symbolum, siue in Scripturis, siue apud Symbolicos.

*Christus Agnus, ob plerasque rationes hinc loco extraneas, lenitatem, innocentiam, immolationem, prudentiam, exquisitum nitorem.*

Verbi gratia, Christus ob mititatem, sæpè in Scripturis confertur agno. Vt Ierem. 11. *ut quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Isa. 53. *Sicut agnus coram tondente, sic non aperuit os suum.* Qui locus allegatur Agnorum 8. Eoque ferè respiciunt, qui Agnum Paschalem, Christi patientis typum fuisse tradunt: vt S. Ambrosius in psal. 43. ad illud, *dedisti nos tanquam oues escarum.* S. Paulinus natali 8. Sancti Felicis, S. Augustinus lib. de catachysmo cap. 4. Naz. orat. 42. Lact. lib. 4. cap. 26. Rupertus 2. in Exod. à c. 3. sic pulchre & diligenter Gisl. in alterca. Synod. & Eccles. cap. 9. à pag. 52. In hoc sensu S. Bernardus serm. 1. de Epipha. accipit illud Baptiste de Christo Ioannis 1. *Ecce agnus Dei.* [Verè (inquit) Agnus, verè humilis, verè mansuetus.] Tertull. quoque lib. de patientia cap. 3. Christum, ob patientiam & lenitatem, agno confert. Non item considerandam sub agni nomine suscipio, Christi innocentiam, ob quam S. Petrus Christum

agno confert, monens fideles, recolerent etiam atque etiam pretio se esse emptos, quod sit supra omne pretium; sanguinis inquam quasi agni immaculati. Ad hanc mentem ita disserit S. Augustinus tract. 7. in Ioan. [Alter die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo: & respiciens Iesum ambulante, dicit, Ecce Agnus Dei. Vtique singulariter iste Agnus. Nam & discipuli, dicti sunt agni. Ecce ego mitto vos; sicut agnos in medio luporum. Dicti sunt & ipsi lumen; Vos estis lumen mundi. Sed aliter ille de quo dictum est erat lumen verum; quod illuminat omnem venientem in hunc mundum. Sic & Agnus singulariter, solus sine macula, sine peccato: non cuius macule absterse sint, sed cuius macula nulla fuerit.] Disertè quoque S. Epiphanius hæresi 69. de Christi variis nominibus agens, ait [Agnus dicitur, propter innocentiam: & quod per ipsum, peccatum ab hominibus sublatum est, in eo quod ipse Patri oblatum est ouicula ad mactationem.]

115 Optimè Richardus Victor. tract. de Baptis. Christi [simplicitatis innocentiam, scriptura nobis commendat per agnum, etiam & puerum; Vnde ipse Dominus, propter omnimodam innocentiam dictus est Agnus Dei: & de eius consimilibus, dicit ad Petrum, *pascite agnos meos.* Et dictus est pastor ouium, & fideles oues pascuæ eius. Et legis præceptum est, vt quotidie Sacerdotes duos agnos offerrent; vnum mane, & alterum in vespere. In mane incipiunt homines operari. Ideo per manè intelligitur actionis principium, sicut per vespem, datur intelligi finis. Quid est ergo duos agnos offerre, nisi opera innocentie incipere, & ad finem perducere? Hoc est Sacrificium iuge, quia semper Deus requirit à nobis, innocentie virtutem.] Inde etiam illud Paulini epist. 12. ad Seuerum.

*Sub cruce Sanguinea nunc stat Christus in agno, Agnus vt innocua in iusto datus hostia leibo.*

Et superius:

*Sanctam fatentur, crux & Agnus victimam.*

Habes hic & aliam causam huius Christo tribuæ denominationis, sed quam hic quoque non attendo; nempe quod Christus fuerit victima, pro nobis à Patre tradita ad salutem nostram. Theophilactus in cap. 1. Ioan. ad illud *ecce Agnus Dei*, disertè ita habet, his verbis. [Agnus Deus, dicitur Christus, siue quod Deus acceperit mortem Christi pro salute nostra, siue quod Deus Pater, propter charitatem suam erga nos, illum dederit ad mortem pro nobis. Quemadmodum dicere solemus, Sacrificium hoc illius est: hoc est, ille Sacrificium hoc obtulit. Sic igitur & Dominus dicitur Agnus Dei, eo quod Deus Pater propter charitatem suam erga nos, illum dederit ad mortem.] Sed & iuge Sacrificium dæorum agnorum in singulos dies, Christum victimam nostram exprimebat



primebat: autoreque Origene hom. 24. in Numer. id maxime spectat Christi agni denominationem. Audi & eundem Tomo 1. in Ioan. [Vt agnellus innocens qui ducitur ut sacrificetur, factus est ille agnus Dei, ut auferat peccatum mundi: & qui omnibus sermone suppeditat, etiam assimilatus est agnello sine voce, coram tondente, ut morte ipsius omnes nos purificemur; idcirco Ioannes ait, ostendens ipsum; ecce Agnus Dei, qui tollis peccatum mundi. Non inquit; qui tollis aliquando, neque item qui abstulit quidem ante, nunc autem non tollis, sed tollis, (inquit,) quia assidue hoc agit, id est tollit ab unoquoque in mundo existente peccatum, neque tollere, quoad è toto mundo sublatum fuerit peccatum, ac Seruator tradiderit Patri regnum peccatum, eo quod nullum ac ne leue peccatum superfuturum sit debellandum à Patre.] Eusebius lib. 1. de demonstr. cap. 10. late & egregie de hac Christi denominatione differens, huc respexit censet Baptistam cum dixit, Ecce Agnus Dei. Ego tamen aliud collineo.

116 Multo minus sub agni titulo, Christi prudentiam propono expendendam: tamen si S. Gregorius lib. 6. in 1. Reg. cap. 15. ad illud, recensuit eos quasi agnos, affirmat typum prudentiæ agnum esse. [Agnorum (inquit) nomine, solent viri magnæ prudentiæ designari.] Hoc nescio an ad eam solertiam referat, qua agnus matrem agnoscit. Audi S. Ambrosium lib. 6. exam. cap. 4. qui Agnorum in summa simplicitate summam industriam & solertiam similitudinariam, sic celebrat. [Quid agniculis simplicius, quos minusculæ paruulorum comparamus infantibus? Sæpe ex his magno grege agniculus per ouilia tota vagatur, errat, à matre, & cum eam reperire non possit, balatu frequenti absentem incitat, ut responsuræ vocem exciter, quo ab eius sono, errabunda replicet vestigia; multis licet versetur, in millibus ouibus, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem, lactis quoque maternis notos sibi fontes requirit. Quamuis cibi desiderio detineatur & potus, transcurrit tamen aliena vbera, licet humore lactis exundent. Solam matrem requirit, solius sibi materni vberis pauper succos, significat abundare. Illa quoque inter multa agniculorum millia solum filium novit. Vnus quamvis plurimorum balatus, eadem species; sed illa tamen sortem suum discernit à cæteris, & solum filium tacito pietatis testimonio, recognoscit. Pastor errat in discretionem ouium, agniculus in agnitione matris nescit errare.]

Ex Cassiano l. 6. de institut. cap. 4. desumi præterea potest alia ratio Christum denominandi agnum, ad hunc item locum minime pertinens. Distinguens enim eo loco Cassianus, continentem siue in partem à casto, vel potius ab eo qui in affectum incontinentiæ vel incorruptionis transierit; ait hunc dici *ἀγνόν*. Vbi corrupte libri quidam legunt *ἀγνόν*. Sed rectè ex M. S. Cod. Diaconius emendauit errorem; legitque ut diximus. Idem ergo est iuxta Cassianum *ἀγνόν*, quod perfecte & exquisitè nitens, & purus

à carnis fœculentiis & illuque. Quod decem fuisse in Christo singularissimum, nemo non videt. Proindeque agnus iuxta hanc vocis notionem, iure dici poterit. Verùm in hac ad Christum Dei agnum, itaque potuerit sanè Christus ex prædictis causis Agnus appellari. Sicut S. Augustinus serm. 101. de diuers. cap. 6. Sanctam Agnetem ob exquisitam puritatem iure nomen illud adeptam docet, verbis illis. [Virgo quæ quod vocabatur, erat. Agnes Latine agnam significat, Græcè castram. Erat quod vocabatur, merito coronabitur.] Eandem inquam ob causam, Christus multo magis, potuerit Agnus denominari.

*Agnus Dei Christus, qui  
Filius Patris.*

117 Ea tamen illius denominationis causa, quam hoc loco amplector, illa est ob quam dicebam subnecti merito hunc titulum, titulo filij naturalis. Nempe quia nomen agni, in scripturis filium designat: fortassis quod apud Hebræos, infantes ob teneritudinem, vel quia erant de grege Dei, sic nominarentur. Sanè S. Hippolytus orat. de consummat. mundi proferens varias antitheses Christi & Antichristi, imo imitamenta varia quibus Satan, illum hominem peccati ad Christi simulationem conformabat; inter alia id proferit. [Demonstratus est Saluator ut agnus, ipse quoque nascetur in circumcissione.] Quæ verba manifestè ferunt vnum Hebræorum quem dico. Ea item ex causis Baptistam, ut refertur Ioannis. denotasse Christum nomine agni Dei, quod illum filium Dei intelligi velle, autor est Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. cap. 5. in fine, verbis illis de Christo, magno, (ut ait) Dei, & perfecto puero. [De hoc puello, fert quoque testimonium Ioannes, qui est maior propheta inter natos mulierum; ecce Agnus Dei. Quoniam enim scriptura, pueros ac infantes agnos nominat, Deum qui est Verbum, qui propter nos homo factus est; qui nobis in omnibus assimilari volebat; vocauit agnum Dei, filium Dei, infantem Patris.] Nec sane suberat ratio, cur Ioannes si alid respexisset quàm ad hanc Christi filiationem significandam; v.g. si tantum innocentiam, aut lenitatem, & bonitatem Christi designare voluisset, Christum vocaret agnum Dei, sed simpliciter vocasset agnum. Quare perspicuum videtur, Ioannem nomine agni Dei infantem cælestis aula, & filium Dei intellexisse. Vnde quotquot ex hoc Ioannis testimonio, confirmant Christum esse agnum Dei (sunt autem innumerati,) astipulari videntur huic Christi nomenclaturæ, in sensu quem proponimus. Eidemque etiam suffragatur est, quilibet hymno Angelorum attribuit illam clausulam, Domine Deus Agnus Dei, filius patris, qui tollis peccata mundi.



*pictura Christi Symbolica,  
specie Agni.*

118. Spectant planè ad hoc institutum, pascere picturæ quibus Christus Symbolicè agni specie effictus exhibebatur. Sic Damasus Papa in Syluestro, testatur Constantinum Magnum constructo sacro fonte in quo Christiano ritu lotus est & initiatus, fontis labio agnum aquam fundentem appendisse ex auro purissimo; adscripto ad lauam titulo *agni Dei* demonstrati per Baptistam ex argento fabrefactum: ut intelligeretur, Christum esse qui aquam expiatriam fundit; iuxta illud, *hic est qui baptizat*. Aliam eiusmodi Christi picturam, exhibet Bosius lib. 6. de cruce cap. 12. Agni sub cruce rupi insistentis, & fontes quinque, vnum è pectore, & singulos è singulis pedibus emittentis. Apud Anastasium nihil frequentius eiusmodi Christi imagine.

Interdicitur quidem in 6. Synodo canone 81. Trullano, ne in posterum Christus sub agni specie depingeretur: quod hodièque seruantes Græci, vt refert Ioannes Molanus l. 3. de imag. cap. 20. loco Agni quem in Latina Ecclesia ad latus Baptiste pingi ex vfu est, apponunt schedam his ex Isaia & Euangelio verbis narratam. *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius*. Id tamen interdictum, apud Latinos non est vfu receptum, nisi fortassis vt Christus passim non pingeretur agni specie. Quo verisimile est spectasse canonem illum Trullanum. Neque enim absolute improbat picturam Christi sub specie agni, alioqui anteriores quoque picturas eiusmodi, inuissile eradi, atque deleri: sed tantum iam ante editis ea specie picturis Christi, mandat vt in posterum Christus pingatur specie hominis: quod in lege gratiæ Symbola & figuras cessare pat sit, præsentè veniente. Vnde quia in eo canone imago agni non improbat, imò antè edita recipitur, Tharastus Patriarcha, postea in 7. Synodo actione 3. eum Canonem allegat pro sacris imaginibus. Quod ratum habet Adrianus Papa in scripto ad eundem Tharastum. Et ibidem Epiphanius actione 6. eandem imaginem Christi sub agni specie à Ioanne demonstrati, profert pro vfu sacrarum imaginum. S. quoque Theodorus fudita in epistola Catechetica, eundem Canonem pro imaginibus adducit. Aque S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, in capitulis aduersus Iconoclastas, canonem illum Trullanum allegat pro imaginibus. Videtur Græcorum in Paralip. ad lib. 5. de cruce cap. 11. Igitur antiqua illa, & nunc non prorsus antiquata picturæ Christi sub agni specie, cum ferè habeant oppositum Baptistam, digito Christum agnum demonstrantem, alludunt manifestè ad demonstrationem Christi, factam Ioan. 1. verbis illis, *ecce agnus Dei*, quibus videmus, significari Christum esse Dei filium; ac proinde iisdem picturis confirmatur notio agni Dei, quam hic proponimus.

*Vfus agnorum cereorum, quorum indu-  
ctus, & quomodo Christum, Agnum,  
id est Filium Dei, dictum  
monstrat.*

119. Possimus verò eandem astruere, ex per antiquo, & nunc etiam vulgatissimo vfu planguncularum cerearum, specie agni, quem ad tempora Constantini Magni refert Molanus orat. de agno Dei cap. 6. de quo integer tractatus à nobis conscriptus est omni ecclesiastica eruditione refertur; quem quoniam multis annis, post hocce opus absolutum, elucubraui consulerè poteris de causa vsus Agni Cerei. Videbisque quàm non sine fundamento pronunciauerim, cereos agnos quorum est vfu apud fideles, esse memoriale baptismi Christiani: eaque Sacri sigillaris vsurpatione admonitos fideles, vt se baptismo initiatos, & agnos nouellos fuisse recordarentur.

120. Hinc igitur à posteriori Philosophando, confirmare licet, quod affirmabam de Christo agno Dei, id est filio Patris. Idcirco enim Christiani sacro baptismo initiati, dicuntur agni, quia per lauacrum aquæ, tanquam per vterum fidelium, vt S. Chrysostomus loquitur, efficiuntur per gratiam filij Dei, & conformes Christo primogenito: proindeque *agni Dei*, nomen principalibus, & tanquam primario analogato, conuenit Christo, quem *pastorem agnorum* regaliū scitè nominat Clemens Alexan. in hymno ad Christum Seruatorem, qui Pædagogus subijciatur. Neque verò quod agnorum pastorem Christum nominat, excludit eum agnorum numero. In spirituali namque hoc ouili, Christus idem est agnus, & pastor, ait S. Paulinus epistola 5. à medio & epistola 32. sub initium. De Christo specie agni, exhibito inter sacrificandum. Videndus Petrus Damia. lib. 6. epist. 25. & Epiphanius quidam libello de dignitate Religionis Christianæ, narrans visionem quandam de Eucharistia.

Vfus doctrinæ, est per se euident ex dictis de Christo Dei Filio. Et addi potest debere nos quoque, quod ipsa *agni vox* insinuat, Christianam placiditatem, præferre Christi imitatione. Nec prætermittenda consideratio vtilitatis gestandi cereos agnos, quorum vsum Deus tot prodigiis sapè obsignauit: Nimirum non modò quia tam solemnibus & singularibus ritibus à solo Christi Vicario consecrantur, suntque his temporibus veluti testera Catholicismi; sed etiam quia renouant homini memoriā suscepti baptismi eiusque professionem continent; non absque insigni excitemento conformandi se filio naturali, cuius forma accidentaria communicata in Baptismo est, per filiationem adoptiuam.



## CAPVT III.

*Christus, facies ac vultus Dei.*

**V**a naturali filiationi hactenus in Christo tractata respectu Dei, subnectam titulum faciei ac vultus Patris, facie similitudo & expressio vultus parentum in liberis. Ex quo fit, ut liberi, parentum vultus & facies esse videantur; tametsi non de conitatio parentes dicuntur esse facies filiorum, ut obseruat Tertull. lib. contra Prax. cap. 14. quia non patres à liberis, sed hi à patribus exoriantur; eosque facie & vultu referre dicuntur. Res est & experimento testata quotidianis, & Doctorum commentationibus discussa, ut videre est apud Aristotelem 7. histor. cap. 6. & lib. 4. de Gener. animi, cap. 3. Plinium lib. 7. cap. 12. & alios apud Tiraquellum lib. 7. connub. à numero 50. Eadem non adulterini sed legitimi sœtus nota habetur. Vide Martialis.

*Est tibi quæ patris signatur imagine vultus,*

*Testis matrem nata pudicitia.*

Iudæi hinc occasionem arripuerunt concinnandæ fabulæ, cuius ex Rabbi Salomone meminit Lytanus 1. Paral. 3. Filium enim quem David & Abigail susceperat, cum aliqui criminarentur esse Natalis filium, subito orante Dauide immutatum facie, & Dauidi simillimum factum asserunt; ut proderetur genuinus Davidis filius; quo ipso, faciei similitudinem, notam processionis ex aliquo statuunt. Egregie verò ac concinnè de more Gregorius Nyssenus orat. 3. de Resurr. hanc vultuum parentum in liberorum vultu representationem, ac plerumque non parentum modò immediatorem, sed etiam anteriorum, faciei in posteris expressionem miraculum vocat omni stupore prosequendum.

*Christum, quia Dei filius naturalis, est  
Facies Patris, & quæ Deus,  
& quæ homo Deus.*

Hæc cum ita sint commodè post expositam naturalem Christi filiationem respectu Dei, exponendum suscipimus quomodo dictus sit *vultus ac facies Dei*; quod huic filio singularissimum est; cum non dicatur vultu Patrem referre, sed esse ipsamet vultus ac facies Patris. Non est porò hoc loco sermo de Christo quatenus Dei Verbo. Sic enim non esset obscurum, vocari sapientem Christum faciem Dei; quod bene confirmat Paschasius Diac. l. 1. de Spiritu sancto cap. 4. tractans illud psalmi 50. *ne proiciat me à facie tua.* Quibus verbis expressum Trinitatis mysterium, pulchrè demonstrat; sed quod ad rem propositam facit, istud est. [Filius sicut imago patris, ita & facies Patris accipitur. Et ideo legimus: *Philippe qui videt me, videt & patrem.* Et ite-

rùm: *quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* Aduerte in fide perfectæ confessionis mysterium Trinitatis. Propheta ad patrem loquitur, faciem patris, filium patris proficitur, nec non diffusum per omnia Spiritum sanctum proficitur. De filio ad Moysen etiam loquitur *facies mea præcedet te.* Quod nomen, id est facies, & ad unitatis substantiam, & ad æternitatem pertinet maiestatis. Inde Paschasius eruit argumentum, ad Filij cum Patre æqualitatem comprobendam, non obstante Natiuitate ex Patre quam Ariani obiciebant, ut inferrent Filium esse Patre minorem, eique proinde inæqualem, sed absurdè. [Nam & facies de corpore nascitur, nec tamen faciem minorem capite suo, vel brachium corpore suo, constat esse posterius. Si ergo vultum caput antiquius vultum fuit, tunc asserere præsumere, antiquiorem esse patrem ab imagine sua, quæ in Christi perfectæ similitudine, & æqualitate constitit. Ita ergo nascitur filius, vel potestate, vel tempore, à Patre discerni, si ut facies à capite separari, vel capite suo nequaquam potest iunior inueniri.]

Idipsum esse videtur, quod Apostolus Hebr. 1. dixit, vocans filium splendorem patris gloriæ, & figuram substantiæ eius. Ea enim figura, & ut Græca habent *character & imago expressa patris hypostases*, aliud non sit quam imago viua, & veluti facies filij, ore & facie Patrem referentis, ut illa pulsonem Anem optans, qui patris ora referret, loquebatur. Rectè etiam *splendor gloriæ* dicitur, non allusione facta ad solem, sed ad lumen vultus iuxta illud, *lux vultus mei, non cadebat in terram.* Id est facies Serena & læta non obumbrabatur. Sicque eum characterem apud Apostolum intellexisse videtur Augustinus Sinaita lib. 1. de relictis fidei dogmat. qui est de Patris & Filij consubstantialitate *sub finem*. Verum quod hæc faciei patris denominatio, in Christum hominem non cadat nisi per idiomatum communicationem; non hæreo in ea vteris. Sed Christo homini, seu Verbo in sua humanitate, eam appellationem vindicare, non erit difficile.

122 Videbimus tamen, Christum propter hominem, nomine *diuina faciei* donando, refragati iis Patribus, qui dictum illud Dei Exodi 33. *posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*, ita accipiunt, ut negata sit synagoga Dei visio, concessa autem contuitio Christi, qui nomine *posteriorum Dei*, non autem *faciei*, sit à Deo expressus. Ita Athanasius quæst. 23. ad Antioch. [Quia vultusque (inquit,) posteriores partes anteriores sunt humiliores; Diuinitatem intellige, per anteriora. Et propterea dixit; *nequaquam videre poteris hominem faciem, & vultum.* Non enim est possibile corporalibus & materialibus oculis videre incorpoream & omni materia carentem essentiam Dei; & viuere. Posteriores verò partes Dei, carnem intellige, quam assumpsit ex Virgine, & per quam conspectus est.] Alios aliquos similiter eum locum interpretatos, protuli supra tractans quomodo Christus sit bonum.

His & aliis faciem Dei de ipsa diuinitate clarè



His & aliis faciem Dei de ipsa diuinitate clare visa accipientibus, posteriora autem, siue tergius, de Christo prout homine, non repugnans, cum aggredimur ostendere, Christum hominem esse faciem ac vultum Dei. Tantum quippe volumus ostendere, posse in diuinam aliquam notitiam deueniri per Christum hominem, etiam si ea cognitio non sit futura clara, & ut vocant *facialis*. Nam alicuius de Deo notitiæ ingeneratio per Christum, sufficit ad rationem diuinæ faciei analogicæ, Christo assignandam.

*Scriptura & Patres, pro Christo Deo homine, facie Dei.*

113. Ex compluribus Scripturis id confirmat loco allegato Anastasius. Filium enim De. carne amictum, faciem Dei pronunciat, ut, eo platis loco, *quod ibi à Spiritu tuo, & quod à facie tua fugiam?* Itemque illis aliis, *vultum tuum Domine requiram.* Iterumque deprecatur *sum faciem tuam in toto corde meo.* Subdit verò. [Quod facies Patris sit vnguentus ac Verbum, qui iuxta decretum Patris sui omnis creaturæ constitutus est index, iuxta sententiam Davidis; *A facie tua iudicium meum prodeat.* Itaque facies Patris prædicatur esse filius; quippe qui imago est & character Patris, & à Patre potestate accepta facit iudicium, iuxta illud. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Atqui sicut vultus Domini perdit malos de terra, non ut omnino non sint, sed ut non sint in posterum mali: Ad eundem sensum, rursus ait; *Emittes Spiritum tuum & creabuntur; & renouabis faciem terra: hoc est hominem.* Decor enim & ornatus terre homo est. Ut species in homine relucens, facies est.]

Est ibi aperte sermo de Filio carne circumdato. Nam sub ea ratione est constitutus Iudex. Itaque aperte de sententia Anastasij omnibus locis prolatis. Christus dicitur facies Patris. Clemen. Alexand. 1. præd. cap. 7. similiter interpretatur quod dixit Iacob Gen. 32. *postquam colloquutus esset cum Deo.* Interrogauit (inquit) ipsum, & dixit ei; *monstra mihi quod sit nomen tuum.* Et dixit: *Cur interrogas nomen meum?* Nomen enim nouum non populo referuabat, nempe infanti. Ad hoc autem erat innominatus Deus Dominus, ut qui nondum homo factus fuerat. Vocauit tamen Iacob nomen loci illius, *speciem Dei.* *Aspexi, enim (inquit,) Deum faciem ad faciem, & salua facta est anima mea;* Facies autem Dei est Verbum, quo Deus illuminatur & cognoscitur. Tunc etiam nominatus est *Israel*, quando vidit Deum Dominum, hic est Deus, qui est Verbum.]

114. Accommodat eodem S. Ambrosius sermo 17. in psal. 118. ad v. 7. illud Davidis *faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.* Existimat enim alludi eo loco ad faciem Moysi, corporali velatione obductam dum alloqueretur Iudæos, ut significaretur legem scriptam tenebris obduci, & velaminibus operiri contra quam futurum erat in lege gratia; ubi remoto velamine faciem Dei reuelatam conspiciantur erant

fideles. Ut propterea Iesus Naue, quem typum Christi fuisse, nominis conuenientia monstrat, tamen promissum ei à Deo esset, quod futurus esset cum eo sicut cum Moyse fuerat: tamen mortuo Moyse, reuelata facie & absque obducto velamine alloqueretur populum. [Deus omnipotens (inquit S. Ambrosius,) qui in Moyse facie excæcauit populum Iudæorum, non duritia, sed præscientia, nec malitia sed æquitate atque iustitia, iste (inquam) Dominus illuminauit cor populi nationum, in facie Christi. Iesu, per eius aduentum: quod euidenter Apostolico declaratur exemplo, sicut scriptum habemus: *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu.* Idco ergo dicit David ad Dominum Iesum. *Vultum tuum illumina super seruum tuum.* Faciem Christi videre cupiebat, ut mens eius illuminari posset. Et secundum incarnationem potest accipi. Multi enim prophetae & iusti videre voluerunt, ut ipse Dominus declarauit. Quod autem negatum Moyse fuerat, non quærebat, ut corporaliter Dei vultum in corpore videret: si tamen & Moyse tam sapiens & eruditus hoc potuerit simpliciter magis quam in mysterio postulare, humanum tamen est desideria supra nos extendere. Nec immerito faciem eius aduenientis ex virgine quærebat videre, ut illuminaretur in corde.] Habes ex Ambrosio, duplicem sensum quo David in Christum respiciens, Dei faciem illuminari super se deposebat: nempe directam ad Patrem oratione à quo posceret Verbi sui carne vestiti specie frui; Vel directam oratione ad ipsum filium carne circumdatum, cuius faciem corpoream videre cuperet. Et quamuis uterque sensus Christum spectet, tamen prior sensus videtur potior, & literæ congruentior, cum nulla sit ratio existimandi eo loco directam ad filium hominem orationem à Davide, qui Patrem ibi perpetuo alloquitur. Quare habemus designatum eo loco Christum, nomine vultus paterni ac diuinæ faciei.

115. Nec minùs concinne idem S. Ambrosius in psal. 43. ad illud *quare faciem tuam auertis?* de Christo Dei vultu & facie id dictum accipit, quem tamdiu differri dolebat antiquis Patribus, quod à diuino vultu in carne exhibitio, illuminandos se esse præfagerent. [Etenim si vultus hominis, cæteris membrorum partibus plus refulget, & quemcunque intuemur, vel incognitum agnoscimus, vel cognitum recognoscimus, quæ aspectus noster latere non patitur: quanto magis Dei vultus, quem spectat, illuminat? De quo ut cætera eius sunt, ita & hoc præclarum Sancti Apostoli, qui verè interpres est Christi, ut aptiore cum sensu & sermone nostris infunderet mentibus.] Et mox. [Merito ergo dicunt isti: *Quare faciem tuam auertis?* Aut fortasse propterea dicitur, quia desiderantibus, Christi moram faciebat aduocatus. Ipse enim est vultus patris, qui est imago & gloria Dei.]

Placet etiam Rupertii meditatio lib. 6. de processu Spiritus Sancti cap. decimo quarto, qui sic philosophatur expendens illum psalmi 4. versum [signatum est super nos lumen]

HI 2 lumen



*lumen vultus tui Domine, dedisti latissimam in corde meo.* Dominus cui hoc dicuntur, signatum est super nos lumen vultus tui Domine, ipse est Pater: vultus Domini, ipse est Filius patris; lumen vultus Domini, ipse est Spiritus sanctus Patris & Filij. Filius idcirco recte dictus est vultus Dei Patris, quia sicut in vultu alicuius hominis affectio lætitiæ, vel mœrore potest percipi, sic per Filium voluntas Dei Patris mundo fuit lumen vultus Domini; idcirco recte intelligimus, Spiritum sanctum Patris & filij, quia sicut lumen alicuius rei, valde lucentis; viam vel prospectum pandit corporalibus oculis: verbi gratia, sicut claritas solis, depulsa caligine noctis nobis efficit diem: sic Spiritus sanctus depulsa ignorantia tenebris, docet nos omnem veritatem, quia per ipsum, & filium scimus & patrem, & ipsum cognoscimus ex utroque procedentem. En Spiritus sanctus quia omnem de Christo & eius mysteriis veritatem deregit, & legitimam Christi cognitionem ingenerat, lumen vultus Dei appellatur. Igitur vultus Dei, est ipse Christus.

126 Collimasse in diuinæ huius faciei contuitionem omnia antiquorum Patrum desideria, monstrat præscriptæ Numer. 6. benedictionis formula, quæ sic concipiebatur; *benedicat tibi Dominus & custodiat te, illuminet Dominus faciem tuam super te, & det tibi pacem, & misereatur tui.* Quem locum pie omnino, in Christum cadere, demonstrat S. Cyrillus lib. 11. de ador. decerpo laciniam ex fulgore eius oratione. Faciem porrò Dei & patris esse filium qui apparuit nobis, nemo, (vt ego arbitror,) ambiget: character est enim, & similitudo, & imago illius: ac per ipsum, & cum ipso Patrem cognouimus; Cuius aduentum videre cupientes, ad vniuersorum Deum clamabant, *Deus virtutum conuertere nos & ostende faciem tuam; & salui erimus.* Omnes igitur sumus in ostensione Christi misericordiam consecuti.]

127 Hanc pacem & suauissimos fractus benedictionis in Christo promissæ & per Christum Dei faciem exhibendæ, citra omnem ambiguitatem præconcepiebant præfati iusti, in quorum omnium persona David psalm. 79. aiebat, *ostende nobis faciem tuam & salui erimus.* Quem locum Rabbi Moses Hadarlan, de Christo Dei facie interpretatur in cap. 12. Genes. eodem referens illud Oleez & viuificauit nos post duos dies, & in die 3. suscitabit nos, & viuemus ante faciem eius, & sciemus vt sequamur ad cognoscendum Dominum. Illustrata sunt quæ ex aliis quoque Rabbis profert Galat. lib. 3. de arca. cap. 12, quibus Messias vocatur *facies Dei*. Sed illud præter cætera placet annotare quod ex Malach. 3. à primario Rabbino Mose Maymonide obseruatum refert. Sic enim habet ex Hebræo Malachias. *Ecce ego mitto Angelum meum, & parabit viam faciei meæ.* Eam faciem cui paraturus Angelus viam prædicatur, fuisse Christum Dominum, affirmat Maymonides, & verissimè eum locum aperat ad Messiam suffragante ipsomet Christo Matth. 11. qui eum locum Malachiz de se exposuit, & Angelum viam sibi præparantem, docuit esse

Ioannem Baptistam. Nec refert, imo maxime ad rem facit, aliquis diuersitas verborum quæ sunt apud Malachiam, & eorum quæ inde à Christo allegantur. Malachias enim habet. *Ecce ego mitto Angelum meum, & parabit viam ante faciem meam, Christus autem ita allegat. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui parabit viam ante faciem tuam.* Quod enim apud Malachiam Christus de se loquitur, apud Prophetam verò Deus sit qui loquitur, merito Christus verba Patris de se dicta, & à Propheta in persona Dei prolata vsurpans, refert ea in secunda persona: & eo ipso optime intelligitur, Christum esse faciem Patris, quandoquidem ea facies quæ Christus est, (vt habet Euangelista, ex ore Christi,) iuxta Prophetam in Dei persona eiusque nomine loquentem, est facies Dei. Vide nodi extricationem, multa apud Riberam Malachiz 3. vers. 1. & Ianienium cap. 13. concord.

128 Quod verò eo loco Malachiz, facies hæc Dei, siue Christus, describitur tanquam ignis constans & tanquam herba fulgonum, pertinet ad bona quæ per exhibitionem diuinæ huius faciei præstanda mortalibus erant per Christum, facientem purificationem peccatorum: simulque ad mala quæ obuentura erant in aëros à Deo Iudæos occasione aduentus Christi, per eos pessimè habiti. Sic enim innouit tempus illud vultus Domini, de quo insigniter de more Cyrillus Alex. lib. 3. glaphyr. in Genesi tractans sacrificium Abrahæ descriptum Genes. 15. quo delineatum vniuersum Incarnationis mysterium, perbelli ostendit. Nempe cum Christus, terrenus simul sit & celestis, naturam eius terrenam siue humanitatem, adumbrarunt vitulus, aries, & capra. Nam Verbum in humanitate, factum est nobis tanquam dux gregis, siue aries: idemque vt factus sub lege, dicitur vitalis docta diligenter tritum: & ob deiectionem ac infirmitatem fœmineo sexu aptè expressam, rectè quoque dicitur capra, quia est victima pro peccato. Iam verò naturam Christi celestem siue diuinam, adumbrabant aues eiusdem sacrificij Abrahæ: Turtur inquam, & columba. De quibus nominatim monet scriptura diuinas non fuisse aues, cum diuiderentur animalia. Quia patiente humanitate, diuinitas non est compassa aut diuisa ab humanitate: ob quam etiam causam in sacrificijs auium vetabatur abscissio capitis à corpore, vt notauit Potho lib. de magna domo sapientiæ. Quamquam neque humanitas per passionem & diuinitatem interpositam, vidit corruptionem. Quod signauit Abraham, arcens ab animalium dissectorum cadaueribus, aues damnum illarum. Descripto tam illustri Verbi humanitatis vestienti typo, subiicit scriptura, prænuntiationem Abrahæ: factam de vexatione generis sui, tandemque adlicitur, post occasum Solis apparuisse clibanum fumantem, & inter diuisiones illas animalium, transisse lampadem ignis. Quod qua ratione pertineat ad Christum quam dixi Iudæorum cladem, ob Christum faciem Dei repudiatum, iuuat ipsiusmet

Cyrilli



Cyrelli verbis prode [erat (inquit)] *flamma ignis, & clybanus fumans, & lampades ignea*, factum enim est venerandum Incarnationis mysterium, eis qui credere noluerunt, & refractarios se se praeberunt, clybanus & flamma, & omnium maxime intolerabile, atque extremum supplicium. Ideoque de Israelitis, qui Christi mysterium temere contumelia afficientes, improbi ac contumaces, sunt deprehensi, David ita ait ad vniuersorum Patrem, ac Deum: *paues eos ut clybanum ignis in tempore vultus tui. Domine in ira tua conturbabis eos, & absimet ex ignis.* Tempus autem faciei Patris, merito esse censetur tempus Incarnationis; siquidem facies atque imago Patris, est filius. Ingens itaque flamma & clybanus, manet eos qui mysterium Incarnationis vniuersi reiciunt. Iis vero qui aduentura ipsius agnouerunt, sicut scriptum est, *fit lucerna in tenebris lucens*, & diabolicae caliginis densitatem dissipans, & scandalis quae se se offerunt, cultores offendi non linens. Eodem modo locum Psalmi 20. exponit ibi Euthymius.]

129 Possunt & alia in hanc rem loca profert, quibus Christus dicatur *facies Patris & vultus Dei*, cum Tertulliano lib. aduersus Praxeam cap. 14. & lib. 3. contra Marc. cap. 6. ut locus ex Threnorum 4. quem contra fidem Hebraeorum Codicum, & Graecorum, omniumque Latinorum, recitat Tertullianus. Vbi enim habent alij, *spiritus facies nostrae*, vel *spiritus oris nostri*, ipse legit *spiritus persona eius*, *Christus Dominus*. Vbi persona quidem idipsum est quod facies, iuxta Graecam vocem *πρόσωπον* quos & personam & faciem sonat, ut notauit etiam S. Basilus in psal. 44. explicans de Christo illud, *vultum suum deprecabuntur omnes diuites plebis*. Quod tamen Tertullianus personae paternae, seu faciei Dei patris spiritum pronunciet Christum; hoc est in quo dicebat ab aliis omnibus discrepare Tertullianum: cum Hebraea lectio, & Graeca 70. interpretum, & latinae editiones omnes, habeant *oris nostri*, vel *faciei nostrae* Christum ergo vocari ait à Propheta patris personam, id est faciem ac vultum: Qua etiam ratione lib. 5. contra Marcionem, cap. 11. accipit alia quaedam loca. Monstrat enim nequitia Marcionem abulum fuisse verbis Apostoli 1. Cor. 4. quibus memorat, *Deum huius seculi*, premendo postremam eiusdem loci Apostolici circumsulam qua dicitur, *Deum qui initio mundi dixit de tenebris lucem splendescere*, reluxisse in cordibus nostris de illuminationem agnitionis suae, in facie Christi Iesu, aut ut ipse legit in persona Christi, subditque. [Quis dixit, *fiat lux*? Et de illuminatione mundi, quis Christo ait? *Pesce te in lumen nationum*, sedentium scilicet in tenebris, & in ymbra mortis? Cui respondet spiritus in Psalmo ex providentia futuri: *signum est*, (inquit) super nos lumen personae tuae Domine. Persona autem Dei, Christus Deus Dominus; ynde & Apostolus supra, *qui est imago*, (inquit,) *Dei*. Igitur si Christus persona creatoris dicentis, fiat lux;] sed de locis quibus Christus facies & vultus patris vocatur, plus satis.

*Cur Christus dictus Dei facies, ratio prior, quia per eum conspicimus Deum ut vnus.*

130 Ratio eiusdem nomenclaturae non est obscura, & in plerisque Patrum testimoniis prolatis, facta est vna, rem planè conficiens. Facies enim est, qua quisque nostrum cognoscitur, & internoscitur: eamque ipsam ob causam, Deus varietatem vultuum miraculi plenissimam prouidit ut internosceremur. Quod ex nostris & Ethnicis complures, tanquam vetè stupendum sunt demirati in tanta hominum numerositate semper contingere: ita ut miraculo habitum quandoque sit, duos fratres videre vultibus valde similes, etiam si aliquatenus quoque dissimiles. Videtis Nazianzenum, Nemesium, Meletium, Plinium, quos ad id profert in Natur. Theolog. distinct. 8. numero 128: quibus adde qui ad eandem tot vultuum varietatem obstupescunt & diuicias in ea diuinæ artis ac potentiae profusione defixi suspiciunt, Augustinum 21. Ciuit. cap. 8. & Senecam epist. 113. Est ergo facies qua quisque noscitur, & ab aliis internoscitur. Et propterea, quod notauit S. Ambrosius 6. Hexaem. cap. 9. si desit facies, nulla agnitio esse potest. Iacer truncus ignobilis sine honore, sine nomine. Prædones dum faciei obduxerint personam, tutos se arbitrantur, gnari vultu opero, hominem latere.

Itaque quia per Christum Dei noticia mundo inuecta est, merito dicitur *facies Dei*. Et hac ipsa ratione, figuram substantiam Patris, dictum esse Christum ab Apostolo, (nam figura & expressio substantiae, est facies,) pulchrè exponit Autor libri primi de Incarn. apud Augustinum cap. 12. confirmatque exemplo, [si facta esset aliqua statua talis quae magnitudine sui vniuersum orbem terræ teneret, & pro sui immensitate considerari à nullo posset; fieret autem alia statua membrorum habitu, ac vultus lineamentis, specie, ac materia, per omnia similibus absque magnitudinis immensitate, pro eo, ut qui illam immensam considerare atque tueri non possent, hanc videntes, illam se vidisse considerent, pro eo quod omnia membrorum vel vultus lineamenta, vel ipsam speciem materiæque similitudine proflus indiscrera, seruaret. Tali quadam similitudine, exinaniens se filius Dei, de æqualitate Patris & viam nobis cognitionis eius ostendens, figura expressa substantiae eius efficitur, ut qui in magnitudine claritatis suae positam gloriam meræ lucis non poteramus aspicere, per hoc quod splendor nobis efficitur, intuendæ diuinæ lucis viam, per splendoris capiamus effectum. Comparatio de statu, quasi sanè in rebus corporalibus posita, ad nihil aliud recipiatur, quam ad hoc quod filius Dei breuissimè insertus humani corporis formæ, ex operum virtutisque similitudine, Dei patris in se immensam atque inuisibilem magnitudinem designabat, per hoc quod dicebat ad discipulos suos; *Quia qui videt me, videt & Patrem*.]

131 Sed optimè Clem. Alex. 7. Strom. c. 5. tractans illud psal. 23. *quarentium faciem Dei*  
H 3 Iacob,



*Iacob, sic scribit in tem nostram. [Breuiter vt arbitror nobis significauit Propheta eum qui est præditus cognitione cursimque & obiter vt videtur, nobis demonstrauit Dauid Seruatorem esse Deum, dicens eum esse faciem Dei Iacob, qui annuntiauit & docuit de spiritu. Quocirca Apostolus appellauit quoque filium characterem seu typum gloriæ Patris, qui veritatem de Deo docuerit, & expresserit quod Deus & Pater, vnus est & solus omnipotens, quem nemo nouit nisi filius, & cui filius reuelauerit. Vnum autem esse Deum per eos qui quærent faciem Dei Iaco b. Meminit quem solum esse Deum Patrem bonum, exprimit Seruator noster, & Deus. Generatio autem quærentium eum est, genus electum, quod est vi inquirendi præditum.]*

Non multum abest ab hac ratione tribuendæ Christo istius nomenclaturæ, Autor libri de essentia Diuinitatis, perperam D. Augustino adscripti. D. Anselmo & Eucherio alij tribuunt, vt apud D. Anselmum in Syntaxi partis quartæ, notauit. Affirmat enim Autor ille, *faciem Dei* in scripturis dici cognitionem Dei per homines, communicatam à Christo, qui dixit, *nemo nouit Patrem nisi filius, & cui uoluerit Filius reuelare*. Cæterum cum ea notitia quam de aliquo ex vultu efformamus, non sit ipse vultus, sed vultum habeat pro causa & obiecto à quo hauritur, minus commodè nomen *faciei diuinæ* à nostro vsu translatum notitiæ nostræ de Deo tribuitur ab eo autore; cum debuerit tribui causæ cognitionis eiusdem, nempe Christo à quo Deum agnoscere, eumque internoscere, edocui sumus.

Egregiè porro Origenes, sub finem libri sexti contra Celsum, causam propositam corporati propter nos Verbi Dei, vt esset nobis carnis, carnea Dei facies, his verbis aperit [Si nos Celsus interrogauerit, quomodo putemus nos cognoscere Deum, & per illum salutem acquirere: respondebimus idoneum esse Dei Verbum, vt ingressum quærentibus, se suumque aduentum spectantibus, Patrem reuelaret, qui cerni non potest, nisi per præcedentem aduentum filij. Quis enim alius valeat seruare, & ad Deum optimum maximum humanam animam adducere quam Deus Verbum, qui cum in principio apud Deum esset, propter carni coherentes & carnales, caro factus est, vt caperetur à quibus alioqui ne videri quidem poterat, in quantum Verbum erat, & apud Deum erat, & Deus erat. Nunc corporaliter loquens, & vt caro se præbens, ad se vocat omnes Carneos: vt eos primum formatos. Iuxta Verbum quod Caro factum est, deinde ad contemplationem sui ipsius prouehat, cernaturque ab eis qui ante carnem sumptum fuerat, vt per eius carnem introducti ad sublimiora, dicant illud Apostolicum, *& si Christum aliquando secundum carnem nouerimus, nunc certe non amplius sic eum nouimus*. Itaque caro factus est, & factus caro habitauit in nobis, cum non esset nobis extraneus.]

*Quam tenuis olim Dei cognitio, autem hanc suam faciem reuelatam.*

132 Hic nolim dicam mihi quispiam impingat, & licet moueat, de noto ante Christum in Iudæa Deo, & eius nomine magno in Israël: aut de confessione Dei, id est illustrissima & laudis plena notitia, super celum & terram; eo quod in paginis elementorum & voluminibus temporum, vt est apud S. Prosperum lib. 2. de vocat. gent. cap. 4. communis & publica diuinæ institutionis doctrina perlegi vbiuis potuerit. Nolim inquam, id quispiam obiciat. Nam vt non diffitear, aliqualem Dei notitiam infidisse Iudæis; ai illa quam obscura, quam spicula & tenuis, ac etiam in plerisque quam admittit falsis imaginationibus Deum plane dedecentibus? Passim Iudæi Deum Hierosolimitano templo conclusum, imaginabantur: vt S. Hilar. 2. de Trin. *sub finem*, & Hieronymus in cap. 66. Esaiæ, alique annotant. Quo figmento quid stultius, & à Deo vero alienius? Deinde omnis Iudæorum notitia, ad Deum vnum arctabatur. Trinitatem verò personarum, ne somniabant quidem. Et prouide radi populo & ad plithetismum prono, absconsa est; ne tres diuinas personas, tres Deos blasphemè agnosceret. Nemo porro non videt, quam luxata & oblecta sit Dei notitia dimissa diuinis personis; earumque distinctione. Quantula verò pars orbis erat Iudæa, etiam si daremus in ea ante Christum viguisse perfectam Dei notitiam? Punctum prope præ reliquo orbe; quem densissima caligo offundebat in hac parte. Vt propterea quod S. Hieronymus quæst. 8. ad Helib. animaduertit, Hierusalem in scripturis dicatur *sancta ciuitas*, quia extra eam, eiusque fines, veritas Dei paucissime micabat, & ferè vbiuis nulla erat. Hemispherium solis iustitiæ concludebatur vnus Iudææ angustissimo ambitu, & quod scitè dixit S. Cyrillus orat. de S. Ioanne tom. 6. Conc. Ephes. cap. 2. Moses linguæ se prodidit impedire & exilis vocis, quæ ægerime exaudiretur, cum Dei notitiam ultra fines Iudææ non protulit. At per Christum, gratia & veritas facta est. Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. Impleuit Dominus quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum. Non iam vltia saxis & truncis incommunicabile nomen inditur; non allia & portis imponuntur nubibus; non pudendis & probrosis numinibus cadunt victimæ: sed vnus ac verus Deus, idemque personis Trinus, agnoscitur & colitur in Spiritu & veritate.

133 De hoc Dei consilio in facie sua peterentim aperienda, & notitia sua per Christum plenè cotamunicanda, est in signis locus apud Nyssenum in qq. de imag. qui sic habet. [Ex his intelligimus, quò tandem pacto se Deus tanquam in corpore quodam in mundo manifestum reddiderit, atque prodiderit: quæque ratione peterentim natura nostra mysterium Trinitatis agnouerit. Est enim conceptus vi seminis cuiusdam mali, tanquam in vero quodam prauaricationis, homo in re-

nebròs



nebris & in vmbra mortis sedens. Deinde cum in cognitionis Dei lucem tanquam infans ab initio progressus esset per legis directionem, animatus effectus est, cum Deum ac Patrem agnosceret; In se quidem habentem sicut & anima, substantia coniunctum Verbum & Spiritum. Hominem verò cum propter nimiam iudicii imbecillitatem, non caperet manifestationem Verbi & mentis, ne spece diuini cultus prolaberetur in multorum Deorum cultum, tempore procedente erudiebat, tanquam Infantulum crescentem hac nostra mundi natura velut ab anima quadam, edocta à Deo & Patre, vt obscure cognosceret, & velut ex quibusdam minis clavis balbutientis lingua vocibus, ex prophetis documentis exitum & ortum, atque apparitionem substantialis & oculi patrie Verbi. Post quas balbutientis voces, Mosai- ca inquam & prophetica Verbi ænigmata, cum prodisset clarè & articulare, tanquam ex labiis quibusdam ex vtero virginis perfectum Verbum Dei, tum perfectam triplicem plenitudinem suam, cum istis, & per istud notam deinceps efficit humana mundi natura.]

*Sensu gratitudinis in Deum, ob eam re-  
velationem vultus sui.*

Non se capit, effusus hac ex causa in Christi laude Arnobius lib. 1. num. 23. [Hon- oribus (inquit) quantis afficiendus est nobis, qui ab erroribus nos magnis, insinuata veritate traduxit. Qui velut cecos passim ac sine illo rectore gradientes, ab abruptis, ab deuiliis locis, planioribus reddidit. Qui quod fragiferum primum, atque humano generi salutare Deus monstrauit, quid sit, quis quantus, & qualis, qui profundas eius atque inenarrabiles altitudines, quantum nostra qui- uit mediocritas, capere & intelligere permisit & docuit: Qui quo auctore, quò patre mundus iste sit constitutus & conditus, fecit benignissimè sciri. Qui natiuitatis eius ex- prompsit genus & nullius aliquando cogni- tione præsumptam materiam illius] & mox, [Qui quod omnia superauit & transgressum est materia, ab religionibus nos falsis, reli- gionem traduxit ad veram: qui ab signis tenebris atque ex vilissimo formatis luto, ad sidera subleuauit & cœnim; & cum Do- mino rerum Deo supplicationum fecit verba atque orationum colloquia misere. Vene- rabar (ô cæcitas,) nuper simulachra modò ex fornacibus prompta. In incudibus deos & malleis fabricatos, elephantorum ossa, pi- cturas; veterosis in arboribus tæniās. Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex oliui vngue ordinatum, tanquam inisset vis prærens, adulabar, affabar, & be- neficia poscebam; nihil sentiente de trunco: & eos ipsos diuos quos esse mihi persuase- ram, afficiebam contumeliis grauib; cum eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa; aut in huiusmodi rerum habitare materia. Nunc doctore tanto in vias veritatis indu- ctus, omnia ista quæ sunt scio: digna de di- gnis, sentio; contumeliam nomini nullam

facio diuino, & quid cuique debeatur vel personæ, vel capiti, inconfusus gradibus at- que auctoritatibus tribuo.] Hæc quod vnus Dei notitiam per Christum mundo inue- stam, sapienter Arnobius. Et idem passim est SS. Patrum sensus, cum in huiusmodi Dei be- neficium incidunt.

*Diuina attributa, per Christum Dei  
faciem, manifestata.*

135 Ad notitiam porro Dei proit vnus, pertinet quoque notitia diuinorum attribu- torum. Itaque vt appareat quomodo in Christo tanquam in vultu Dei, visus sit Deus, necessarium est sigillatim differere de præci- puis diuinis attributis sapientia, charitate, misericordia, iustitia, atque potentia, quan- toperè in Christo eluxerint. Sic enim per- spicuum fiet, Christum meritò nuncupatum esse *faciem Dei*, quandoquidem in Christo conspicuæ sunt perfectiones diuinæ.

*Sapientia.*

Sapientiam in Christo fuisse præditam, obseruat Methodius opusc. quodam de cruce quod maiorem cruciatum Dæmoni repen- dere voluerit ac potuerit, inde petito aduer- sus nequitiam eius remedio, vnde extiterat damnum. [Huius enim rei gratia (inquit Methodius) & carnem gessit Dominus Iesus, & homo factus est, & cruci per diuinam dis- pensationem affixus, vt per quam carnem dæmones superbè Deos ementiri fuerant; animabus compendiosa fraude captis; per eam deiectionis despectique essent vt non Dij. Prohibuit enim altius extolli superbiam ipsorum factus homo: vt per quod corpus, rationis pasticeps genus à veri Dei cultu alienatum perdidit, per idem ineffabili arte Sapientie verbo suscepto, exitiales hostes esse arguerentur, non benefactores anima- rum. Non enim mirum fuisset, Christum deitatis terrore & iniustæ patientie magni- tudine aduersarias debilitare naturas dæmo- num. Quoniam ergo ea res maiorem eis do- lorem & cruciatum allatura erat, (vinci enim à præstantiore maluissent) idcirco per hominem salutem vniuersorum procurauit: vt homines quidem, vbi vita ipsa & veritas corporaliter in eos immigrasset, ad formam lumenque verbi recurrere valerent, superatis peccati illecebris. Dæmones verò ab infir- mioris contemptuque victi, desisterent ab audacia & confidentia, Typhonica ipsorum flamma repressa.] Eandem sanè ob causam, olim Deus arcana mundi seminibus se- ruauit, nec hominès diluuiò aboleuit, no- uos postea conditurus; sed subduxit aliquos cladi, vt semine ab ipso vinceretur Diabo- lus, per quod vicisse videbatur, vt disserit Autor pœmatis de prouidentia pag. 183. & Basilii Seleuci altera oratione de Noè.

Exultat præterea in Dei sapientia osten- denda ex Christo, S. Gregor. 17. moral. cap. 15. ad illud *prudencia eius percussit superbum*, quæ verba sic glossa. [Quis hic superbus, alius appellatur nisi ille qui dixit, *ascendam super*



*super altitudinem nubium, similis ero altissimo.*  
Et de quo voce dei dicitur; *qui factus est ut  
nulum timeret, & ipse est Rex super omnes fi-  
lios superbie.* De quo etiam huic sententiae  
David propheta concordat, dicens: *Tu hu-  
milisti sicut vulneratum superbum.* Sed quam-  
vis simplici naturae diuinitatis, non sit aliud  
esse, & aliud sapere; nec aliud sapere, & aliud  
fortem esse; quippe quia ipsa fortitudo quae  
sapientia, & ipsa sapientia quae diuinitatis  
essentia esset: Vigilanter tamen intueundum  
puto, quod vir iste prophético plenus spi-  
ritu, superbum diabolum, prudentia Dei po-  
tius maluit dicere quam fortitudine esse  
percutsum. Non enim ait, *fortitudo*, sed  
*prudentia eius percussit superbum.* Nam quam-  
uis sicut dictum est, propter naturam sim-  
plicem Dei, fortitudo, sapientia sit: Dominus  
tamen, diabolum quantum ad faciem spe-  
ctat, non virtute, sed ratione superauit.  
Hanc rationem, apparisse docet in euerso  
per Christum satanae consilio, & dolis in  
caput eius retortis, quod summa est sa-  
pientia.

Pulchre in hanc rem Eucherius hom. 11  
de Pasch. [Ne per potentiam (inquit) Dei  
se inique opprimi posset Diabolus calumnia-  
ti, astutus callido Deus consilio implicat,  
& contra superbum humilitate configit:  
Non ei captiuum praeripit; sed pretium  
quod sanè captiuo praeponderat, & quod  
praedonem magis damnet, appendit: In-  
centorem peccati, in formam peccatoris  
illaqueat. Humane amicitiam perditionis,  
inexplebilem bestiam, per escam carnis illu-  
dit. Homo in se prouocat esurientem, &  
Deus praefocat deuorantem. Sic Daniel ma-  
ximus Prophetarum, horrendum draconem,  
id est qui spiritum diaboli praeferebat, soli-  
dioris cibi virtute conficit, faciens de pice &  
adipe, id est de duabus substantiis vnā  
offam: qua assumptā, quod putabatur cibus,  
interitus fuit. In pice homo intelligitur:  
Deus adipe demonstratur, qui totius purita-  
tis candor, & pinguedo est bonitatis.]

237 Hac ratione, hamum Leuiathano  
capiendo tetendit Deus, ut notauit Rupertus  
lib. 2. de oper. Spiritus sancti cap. 24. verbis  
illis, quibus exponit quomodo Deus ad Io-  
bum profiteatur se illuissse Leuiathano, id  
est Satanæ. [Quomodo isti hinc sapientiae  
spiritus illuisset? *In oculis* (inquit) *quasi hamo  
capiet enim.* Quis nesciat quod in hamo esca  
ostenditur, aculeus occultatur? Esca enim  
prouocat ut aculeus pungat. Dominus ita-  
que noster, ad humani generis Redemptionem  
ueniens, velut quendam de se in necem  
diaboli hamum fecit. Assumpsit enim cor-  
pus, ut in eo quasi escam, suam mortem car-  
nis appeteret: quam mortem dum in illo in-  
iuste appetit, nos quos quasi iniuste tenebat,  
amisit. In hamo ergo eius Incarnationis, ca-  
ptus est, quia dum in illo appetit escam  
corporis, transfixus est aculeo diuini-  
tatis.]

Sunt haec, specimina diuinæ sapientiae in  
Christo conspicua. Nec obest quod Aposto-  
lus statuatur, insipiens Dei in Christo appa-  
ruisse. Loquitur enim per oppositionem ad

sensum humanum; ut scilicet id sit fatuum  
Dei, quod hominibus iuxta sua principia fa-  
ruum videretur: quamvis reuera sit sapien-  
tiae plenissimum. Alio modo Origenes ho-  
mil. 5. in Ierem. ostendit quomodo dicatur  
in Christo proditum, quod stultum est Dei.  
Et post multa, sic concludit. [Non dignatur  
sapientia Dei ad mundi sapientiam commu-  
cendam tota descendere; sed potius modicu-  
m quod necessarium fuit, quod factum  
Dei erat ut hoc paruo & fatuo Dei, infatu-  
retur saeculi sapientia, magnitudinem in se  
uentis sapientiae impotens sustinere. Ve-  
rum exemplum interponamus, ut perspicue  
possit intelligi quomodo fatuum Dei stultum  
fecerit sapientiam mundi. Fingam pauliper  
me qui aliquid putor esse, cum insipiente  
aliquo & inerudito confere sermonem, qui  
nihil intelligat, nihil acutae disputationis in-  
terroget. Nunquidnam opus mihi est ad il-  
lius stultitiam arguendam, dialecticam calli-  
ditatem & profundiorum sensuum acumen  
adhibere? Nonne ad vnus sermunculi fa-  
tum, vili & modici, qui tamen illius intel-  
ligentiae videatur acerrimus, fatuum & in-  
sapientem esse conuincant? sic igitur ad mun-  
di sapientiam stultificandam, non est opus  
sapientiam Dei descendere, & cum ea colla-  
tari quae deorsum est sapientia: sed sufficit  
fatuum Dei. Quoniam fatuum Dei, sapientum  
est hominibus, & infirmum Dei fortius est ho-  
minibus. Et omnia contraria Saluator meus &  
Dominus assumpsit, ut contrariis dissoluit  
contraria, & nos confirmemur ab infirmi-  
tate eius, & sapientes efficiamur a fatuo eius,  
& in hoc introducti, possimus ascendere ad  
sapientiam & virtutem Dei.] Quae de sapien-  
tia Dei, micante in Christo, scripta. Nemo  
in orat. Catech. cap. 26. longiora sunt  
quam ut hic adscribi possint. Inde ergo re-  
perantur.

#### Charitas in gentis humanum.

138 Iam charitas Dei in nos, summe &  
infinite incensa, nullibi melius quam in  
Christo est conspicua. [O suauitatem! ex-  
clamat S. Bernardus!] O gratiam! O amoris  
vim! Irane summus omnium, vnus factus  
est omnium? Quis hoc fecit? Amor digni-  
tatis nescius, dignatione diues, affectu po-  
tens, suauis efficax. Quid violentius? Trium-  
phat de Deo Amor. Quid tamen tam non  
violentum? Amor est. Quae est ista vis quae  
tam violenta ad victoriam, tam victa ad vio-  
lentiam? Denique semetipsum exinanivit, ut  
scias amoris fuisse, quod plenitudo esset, est,  
quod altitudo adaequata est, quod singulari-  
tas associata est. [Ut sermone de diligendo  
Deo. [Eius quidem potentia occultata est,  
quoniam in infirmitate venit vnde Habacuc,  
abscondita est] (inquit) *fortitudo eius.* Haud du-  
bium quin in cruce, cuius cornua in manibus  
eius. Sapientia quoque abscondita est & in-  
carnata. Placuit enim ei per stultitiam verbi,  
saluos facere credentes. Nonne quodammodo  
stultum se fecerat, qui tradidit in mortem  
animam suam, & tulit peccata multorum, &  
quae non rapuit, tunc exolebat? nonne  
ebrius]



ebrius erat vno charitatis, & immemor sui, contra Petri consilium dicentis; *propitius esto tibi*; itaque abscondita est fortitudo, maximeque velata & incarnata sapientia. Sed benignitas non potuit amplius declarari, nec abundantius exprimi, non evidentius commendari.]

139 Hunc Dei amorem per Christum nobis conspicuum, Rupertus egregie lib. i. in Exod. cap. 8. docet expressum per candelabrum Christum exhibentis obversionem ad Aulicum. [Speculemur (inquit,) candelabrum, id est Christum Incarnatum huius septem lucernarum, septem Spiritus Dei sunt, quorum exemplares septem lucernarum fuerunt, quæ sicut sequentia docent, super illud materiale candelabrum posite sunt. (Facies inquit) & lucernæ septem, ut luceant ex aduerso.) Christus ergo, super quem requieuit Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini, ipse est candelabrum cæli, candelabrum, & lux mundi, septem eiusmodi semper lucens inextinguibilibus lucernis. Qui propter Incarnationis mysterium, per arcam; propter passionis & sanguinis sui pretium, per propitiatorium; propter corporis & sanguinis sui Sacramentum, quod nobis in cibum & potum tradidit, per mensam; ipse propter septiformem spiritum qui super eum requieuit, quemque gloria & honore coronatus, & ad dexteram patris residens hominibus dedit, per candelabrum septem lucernarum rectè figuratus est.] Et infra. [Super candelabrum septem lucernarum dinumerantur, (ut luceant (inquit) ex aduerso); id est contra mensam. Hoc enim postmodum exprimit dicendo: & contramensam candelabrum pone, in latere tabernaculi meridiano. Mensa enim stabat in parte Aquilonis. Per hoc mystice innuitur, quia lux candelabri nostri, id est Euangelica gratia Domini nostri Iesu Christi filij Dei, ab Austro, à magna charitate Dei patris in nos effluit qui erat in parte Aquilonis: illius videlicet de quo Diabolus, *sedebo (inquit) in monte testamenti in latere Aquilonis*. Nobis inquam qui eramus Aquilonarij, id est infidelitate frigidi, mensa prædicta proposita est, & à meridiana charitate Dei, cælestis Sanctuarij candelabrum Christus efflavit.] Theodoretus in fine sexti contra Græcos, his comparationibus hunc amorem declarat. [Quando Iuuenili ac temerario quodam ausu sapientie abyssum vestris consiliis superaturos vos credidistis, meliorem nostræ salutis modum quæso nobis ostendite. At inuenire profectò nullam poteritis. Tanto enim vsus est Deus nolster lenitatis excessu, ut incredibile hoc, & vobis & vestri similibus factu obiciatur, vniuersum scilicet Dei filium, qui est ante secula Deus Verbum, quique opifex est rerum omnium, humanitate nostra assumpta, hominem factum esse, nostramque hoc pacto salutem peregrisse. Atqui eos medicos maxime laudare soletis, non qui vos quidem suis ministris curandos committunt; sed qui palium deponunt, intuleramque succinèti, suis

ipsi manibus ferrum accipiunt vlcusque (si sit opus,) incidunt; neque factorem vlceris auersantur, imò inde profluentem saniem excipiunt, spongiæque inspergunt, & vnguenta compingunt, aliæque multa remedia conficiunt quæ adhiberi, medicinæ lex iubet. Neque verò illos etiam Reges admirari laudibusque ornare soliti estis, qui regalibus in thalamis molliter enutriti, omni genere, deliciarum perfui solent; sed quibus graue non est, pro subditis hominibus, caput periculis obiectare; quique armis obiecti in primâ acie cum hoste fortiter pugnant.]

*Longè maior quàm erga Angelos.*

140 Maiorem Dei erga nos amorem, quàm erga Angelos fuisse, in Christo patefactum, monstrat insigniter S. Chrysost. hom. 5. in ad Hebr. initio tractans illud, non Angelos apprehendit. Sic enim ratiocinatur. [Multam Dei benignitatem volens Paulus demonstrare, & charitatem quam circa genus humanum habuit; postquam dixit, quoniam ergo pueri communicant carni & sanguini, & ipse similiter particeps factus est eorumdem, exequitur amplius hunc locum. Non simpliciter audias quod dictum est, neque nudum aliquid hoc esse putes, quod carnem ex nobis assumpsit. Angelis hoc non donauit. Non enim quemquam Angelorum apprehendit, sed semen Abraham. Quid est quod dixit? non Angeli naturam suscepit, sed hominis. Quid autem est quod dicit, apprehendit? Ille (inquit) non apprehendit naturam Angelorum, sed nostram. Quare non dixit suscepit, sed isto verbo vsus est, apprehendit? ex metaphora insequentium eos qui auersi sunt, & omnia facientium ut fugientes occupent, & ut resistentes apprehendere valeant. Aufugientem quippe ab ipso naturam humanam, & procul aufugientem, (eramus autem longè profugi,) insecutus apprehendit. Ostendit quoniam misericordia sola & gratia, & cura quam de nobis habuit, hoc fecit. Quemadmodum igitur cum dicit, nonne omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditaturi sunt salutem; & vehemens Dei studium erga naturam humanam ostendit, & quod illius multam curam habeat: sic etiam hoc loco; quod multo amplius est ex comparatione ponit. Non enim Angelorum quemquam apprehendit. Et re vera magnum & admirabile & stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere & adorari ab Angelis, & Archangelis, & Cherubin & Seraphim. Hoc sapius ego in mente versans, excessum patior, & magna de genere humano imaginor. Magna quippe video, & clara exordia, multumque Deo studij esse pro natura nostra. Et non dixit, homines simpliciter apprehendit: sed volens eos erigere, & ostendere magnum esse genus eorum & honorabile; dixit; sed semen Abraham apprehendit: unde debuit secundum omnia fratribus simile reddi. Quid est secundum omnia? Natus est, (inquit) educatus est, creuit, passus est, omnia quæ oportuit. Postremò & mortuus est. Hoc est secundum omnia fratribus simile reddi.



*Et quam in creatione.*

141 Multo item auctiorem ex Christo conspicuum esse Dei in nos amorem, quam ex rerum creatione, docet mellitissime Saluianus lib. 2. ad Eceles. *sub initium*. [Propter te o homo, terram ac lutum, imo exiguum terræ ac luti partem, rerum vniuersarum Dominus è cælo venit, terras adiit; ex carne pariter & in carne processit, humiliatus vique ad humani exordij pudorem, & pannorum illuuiem & præsepj vilitatem tolerans indignas se vitæ istius passionibus edendi, bibendi, somni, vigiliatum agras vicissitudines, & caduce istius conuersationis contumeliosas necessitates; ipsam denique hominum circa se conuersantium foetidam commorationem; populos peccatorum sordentium luto oblitus semper malæ conscientie admissu reos, turpius ex se actuum nidorem exhalantes; & idd cælestium præceptorum incapaces, nec sustinentes sacri fulgoris iubar; quia caligantes peccatis. oculos, splendor diuini luminis obruebat. Nec solum hoc; sed post hæc omnia, adde proteruas superbientis populi contradictiones, adde conuicia, adde maledicta, impiam insectationem, testimonium falsum, iudicium cruentum, iurifones populi, sputa, verbera, acerbissimas quidem pœnas, sed indignitates pœnis acerbiores, coronam spineam, acetum poculum, cibum fellis, damnatum ab hominibus Dominum vniuersorum, pendentem in patibulo humani generis salutem, Deum tertene conditionis lege morientem.]

142 Suffragantur alij Patres. Orig. hom. 6. in Ezech. ad illud, *non pepercit in te oculus*, quod sic glossat. [Propterea nihil tibi horum feci, vt paterer aliquid super te, dicit Dominus. Exemplum ab hominibus accipiam; deinde si Spiritus sanctus dederit, ad Iesum Christum, & ad Deum Patrem transmigrabo. Quando ad hominem loquor, & deprecor eum pro aliqua te vt misereatur mei; si sine misericordia est, nihil patitur ex his quæ à me dicuntur: si verò molli est animo, & nihil in eo tigris cordis obduruit, audit me & misereatur mei, & viscera eius molliuntur ad meas preces. Tale mihi quidam intellige super Saluatorem. Descendit in terras, miserans humanum genus, passionibus perpassus est nostras. Ante crucem passus est vt pateretur, & carnem nostram dignaretur assumere. Si enim non fuisset passus non venisset in conuersationem humanæ vitæ. Primum passus est, deinde descendit & visus est quæ est ista quam pro nobis passus est passio? charitas est passio.]

Nazianzenus orat. 42. post expositas Dei bonitatis in Christo diuitias. [Ille meam carnem accipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat secundum confortium nobiscum initum, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim id quod præstantius erat nobis impertit. At nunc eius quod deterius est, particeps ipse fit. Hoc priori illo diuinius. Hoc apud cordatos viros, multo sublimius.]

S. Bernardus serm. 4. de Ascensu. [Qui descendit, ipse est & qui ascendit. Ab ipso demonstranda nobis erat ascensionis via, ne ductoris, imo seductoris iniqui aut vestigiū, aut consiliū sequeremur. Quia ergo non erat quo ascenderet descendit altissimus, & suo nobis descensu, suauem ac salubrem dedicauit ascensum. Descendit de monte potentie, carnis infirmitate circumdatus: descendit de monte scientie, quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quid enim tenello corpore, & infantilibus membris videretur infirmus? Quid indoctus apparet paruulo qui sola matris vbera nouerit? Quis impotentior, cuius omnia membra clauis affixa, cuius omnia dinumerantur ossa? Quis insipientior eo qui tradebat in mortem animam suam, & quæ non rapuit, tunc exoluebat? Vides quàm multum descendit, quantum à potentia sua, quantum à sapientia exinaniuit semetipsum. Sed non potuit altius montem bonitatis ascendere, nec suam commendare expressius charitatem.]

Caue humilitatem hanc ad Christi humanam naturam referas: quia cum non elegerit Verbo vniri, non potest dici actum humilitatis in ea vnione exercuisse. Ibi verò eluxit in Deo amor humilitatis obiectiua, seu hori & abiectiois nostre. Pergit S. Bernardus. [Sed dicit aliquis, non valuit opus suum reparare creator, absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum iniuria sui, pessimum atque odiosissimum vitium ingrati tudinis, occasionem vltra reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumptor, quo multe dilectionis hominem debitorum teneret, commoneretque gratiarum actionis, difficultas redemptionis, quem minus esse deorum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus. Gratis quidem conditus sum, sed nullo auctoris gramine, vel labore. Siquidem dixit & factus sum quemadmodum & vniuersa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbis facilitate donauit, sic beneficium creationis retenuans humana impietas, ingrati tudinis materiam inde fumebat, vnde amoris causam habere debuerat; idque ad excusandas excusationes in peccatis. Sed obstruendum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantummodò pro te homo dispendium fecit, de Domino seruus, de diuite pauper, exo de Verbo, & de Dei Filio hominis filius facti non despexit. Memento iam te, & si de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per totos triginta annos, operatus est salutem tuam in medio terre. O quantum laborauit, sustinens carnis necessitates, hostis tentationes. Nonne sibi crucis aggrauauit ignominiam, mortis comulauit horrorem? Necessariè quidem sed sic, *homines & iumenta saluasti Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Non refutatur Eucherius hom. 6. de Pasch. licet particulam adhibuerit diminuentem, quæ apud illum, expletina potius est & redundans. [Lugeat inquit, & ingemiscat con-



falsa supplantatoris invidia : eernat diabolus hominem quem mortifero vulnere in primo parente prostrauerat , penè felicitas ac nobilitas resurgente. Ecce gratia plenè maiora restituit, quam factura contulerat. Maximum quidem circa hominem diuini amoris inigne est , quod inter ipsa mundi principia imaginem ac similitudinem Dei sui , seruu accepit. Sed penè amplius est quod nun personam & formam serui Deus autor assumptit; multum quidem est quod abstulit diaboli nequitia , sed multum plus est , quod Dei reddidit misericordia. Postremò magna quidem fuit indulgentia conditoris , assumptum de limo hominem inter Paradisi amena componere. Sed penè maior est gratia , de profundo inferi , ad cœlorum regna subleuare.

*Ars misericordie.*

143 Eluxisse , & perspicuam fuisse in Christo artem misericordie Dei , admonet Goericius serm. 1. de natu. Dom. Benè in eam tem S. Bernardus lib. de gradibus humilit. [ Protoplastorum (inquit,) plasmator Deus, requiens quod perierat , opus suum miseratus, prosequutus est, descendens & ipse misericorditer, quo illi ceciderant miserabiliter. Vultu experti in se, quod illi faciendo contra meritò paterentur : non simili quidem caritate sed mirabili charitate: non vt miserum miseris remaneret, sed vt misericors fidus, miseros liberaret : factus inquam misericors , non illa misericordia quam fœlix munus habuit ab eterno , quam mediante miseria reperit in habitu nostro. Porro pietatis opus quod per illam cœpit, in ista perficit non quod sola illa non posset perficere, sed quia nobis non potuit absque ista sufficere, Vtraque siquidem necessaria, sed nobis hæc magis congrua fuit. Ineffabilis pietatis excogitatio. Quando nos illam miram misericordiam cogitamus, quam præcedens miseria non infirmat ? Quando illam aduerteremus incognitam nobis compassionem, quæ non passione præuenta , cum impassibilitate perdurat : Attamen si illa quæ miseriam necesse misericordia non præcessisset ; ad hanc cuius miseria mater est, non accessisset. Si non accessisset, non attraxisset de locu miserie & de into fœcis. Nec illam tamen misericordiam deseruit sed hanc inseruit. Non mutauit, sed multiplicauit , sicut scriptum est, homines & iumenta saluabis Domine quem admodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.]

Sab perpolychræ fictionis imagine , idem exponit serm. 1. de Annun. Sed sine ambagibus & præclarè serm. 3. de Vigil. Natu. Dom. verbis illis. [ Contraxit se Maestas, vt quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro coniungeret ; & in persona vna sibi inuicem vniretur Deus & limus, maestas & infirmitas ; tanta viliras, & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius , nihil vilius limo : & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum , tantaque dignitate limus ascendit ad Deum , vt quicquid in eo Deus

fecit, limus fecisse credatur : quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili , quam incomprehensibili Sacramento. Et attende quia sicut in illa singulari diuinitate, Trinitas est in personis, vnitas in substantia ; sic in ista speciali commixtione Trinitas est in substantiis , in persona vnitas ; & sicut ibi personæ non scindunt vnitatem, vnitas non minuit Trinitatem ; ita & hic , persona non confundit substantias, nec substantiæ, ipsæ personæ, dissipant vnitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus singulare, inter omnia, & super omnia opera sua. Verbum enim , & anima , & caro, in vnâ conuenere personam : Et hæc tria vnum , & hoc vnum, tria ; non confusione substantiæ, sed vnitatem personæ. Hæc est prima & super-excellens mixtura : & hæc prima inter tres. Aduerte homo, quia limus es , & non sis superbus : quia Deo coniunctus es , & non sis ingratus.]

*Iustitia.*

144 Iustitia Dei , & summum eius in Deo studium, apertè patuit in Christo ; quæ in ostensionem iustitiæ Dei positum, tradidit Apostolus. Poterat profectò Deus genus nostrum absque Christo liberare, nuda vel verbo : sed maluit eligere modum Christo suo operosum, & in speciem indecorum, vt diuina iustitia micaret. D. Augustinus id egregiè perpendit 13. Trinit. cap. item 13. sic scribens. [ Remissio peccatorum per reconciliationem Dei benignam , eruit hominem à Diabolo ; non enim Diabolus potentia Dei, sed Iustitia superandus fuit. Nam quid omnipotente potentius ; aut cuius creaturæ potestas, potestati creatoris comparari potest : sed cum diabolus vitio peruersitatis suæ factus sic amator potentia, & desertor opugnatoreque Iustitiæ , ( sic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa Iustitia potentia student, eiusque vel adeptione lætantur, vel inflāmantur cupiditate : ) placuit Deo, vt propter erudendum hominem de Diaboli potestate, non potentia Diabolus, sed Iustitia vinceretur ; atque ita & homines imitantes Christum, Iustitia quererent Diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia quasi mali aliquid fugienda sit, sed ordo seruandus est, quo prior est Iustitia.]

Addit benè multa in eam rem ibid. & sequenti capite. Accuratè quoque in hanc rem distat, Nyssenus in orat. Catech. cap. 21. & duobus sequentibus. Vide etiam S. Gregorium 3. mor. cap. 11. Non est omittendus Isidor. Pelus. lib. 4. epistola 100. tractans illud Apostoli ad ostensionem iustitiæ suæ hom. 9. sic scribens. [ Quæsiuisti, quid sit quod Paulus dixit, ad ostensionem iustitiæ suæ. Respondeo, quia postea quàm humana natura inflāuit aduersus Deum , & peccatorum tyrannus intolerabilis facta erat , & tempus aderat ferenda sententiæ, quæ exitio vniuersali damneret totum genus humanum : ( Omnis enim ratio meditationis deprehensa fuerat inanis,



& nihili: ac neque lex, neque Propheticus sermo, pestilentem morbum qui omnia occuparat, depellere valebat: Tunc Deus pretium Redemptionis introduxit vnigenitum suum filium, vt locus esse posset gratiæ ac veniæ. Eam ob rem hoc dixit Apostolus; *ad ostensionem Iustitiæ suæ*. Victima enim oblata est vna pro omnibus, quæque omnibus dignitate & pretio superior esset; ac tunc soluta est ira, & conciliatio facta est redintegratæque gratiæ, conuersum est odium in amicitiam; & pro sententia capitali abdicationis, datum est illud excellens adoptionis in filios donum, & infinita accesserunt dona quibus exornaretur Ecclesia: vt ita simul & iustitia ostenderetur, & abundantia bonitatis declararetur.]

*Potentia.*

145 Potentia diuina, splendidissime conspicua in Christo fuit, quod doceo ex S. Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 8. vbi ita habet. [Vtrum igitur quod hisce modis nostri curam gerit, cogitationes nostras deducet, vt humiliter de eo sentiamus, an potius è diuerso efficiet, vt Seruatoris & potentiam & humanitatem erga nos admiremur, quod & compati nostris infirmitatibus sustinuit, & ad nostram infirmitatem se se demittere? Neque enim cælum ac terra, immanisquæ maria, nec animantia vel in aquis vel in terris degentia, nec plantæ, nec astra, nec aër, nec horæ, nec multiplex vniuersi ornatus, excellentiam potentiæ illius nobis perinde commendat, atque quod Deus incomprehensibilis, sic per carnem cum morte constitutus est, vt ipsa diuinitas nihil pateretur, quo nobis sua morte largiretur immortalitatem.]

Et in psalm. 44. ad illud, *accingere gladio tuo super femur tuum potentissime* sic dissert. [Putamus sanè, & hoc ad Dei Verbum tropicè referri, vt carni coniungatur, quod est efficax magis & penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, discretor cogitationum, & intentionum cordis. Quoniam femur signum est humanæ genealogiæ. *Ipsa*, (inquit scriptura) *egredietur anima e femore Iacob*, vt itaque vita, & via, & panis, & vitis, & vera lux, & aliis eiusmodi vocibus sexcentis Dominus noster Iesus Christus nominatur, sic & gladius diuidens partem animæ, affectibus seruientem, & motus concupiscentiæ mortificans. Deinde quoniam Deus Verbum, carnis debilitati, se se coniuncturus erat, pulchrè additur, *potentissime*: quoniam maximæ potentiæ demonstrationem habet, posse Deum in naturâ esse humana.]

Concinit Basilio, germanus eius Gregorius Nyssenus in orat. catech. cap. 24. verbis illis. [Quod omnipotens natura, potuerit descendere ad humilitatem humanitatis, id potestatem magis ostendit, quàm magna & quæ naturam superant miracula. Nam quod magnum quippiam & excessum effectum sit

à diuina virtute, & quodammodo secundum naturam & consentaneum est. Neque nouum & admirabile quippiam auribus attulerit, quod dicitur, vniuersam quæ est in mundo creaturam, & quicquid extraneæ quæ cernuntur comprehenditur, Dei virtute constituisse, eius voluntate, vt ciuilem est, deducta ad essentiam. Ad id autem quod est humile & abiectum descensus, est quædam insignis & redundans copia potestati; quæ minime impeditur, in iis quæ sunt præter naturam; Quomodo enim ignis essentia est proptium ferri sursum; neque inflammata quidquam est admirandum quod sit naturaliter; sed si eam instat grauium corporum videat deorsum tendere, eius rei ducitur admiratione; nempe quoniam modo ignis esse ignis perseveret, & in modo motus excedat naturam, tendens deorsum: ita etiam diuinam & supereminentem potentiam, neque cælorum magnitudo, neque luminarium, & splendor, neque vniuersi ornatus, & conitæ quæ sunt perpetua administratio tantum ostendit, quantum quod se demiserit ad imbecillitatem nostræ naturæ. Nempe quomodo cum excessum extiterit, in humili & abiecto id cernitur, nec descendit altitudo: quomodo humanitas connexa diuinæ naturæ, & hoc fit, & est illud.]

*Christum facies Dei, etiam vt Trini.*

146 Optimo igitur iure pronuntiauerunt deor, Christum esse Dei pro vt vnus, faciem ac vultum, cum in Christo Deus vnus eiusque attributa sint conspicua; vt hæc non monstrari ex Patrum præcipuis. Quod notitiam verò Augustissimæ Trinitatis à Christo mundo traditam, egregie vt cetera dixit autor libri de operibus Christi Cardin. apud Cyrtianum in Prologo. [Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem, nisi Incarnati Verbi magisterium accessisset, humana deciscissent ingenia; & nescio, si & aliqui, audent, ad hæc tentanda, conatus assurgere; sed associata carni Diuinitas, assumptam naturam, ex parte suæ voluit esse claritatis confortem, & apertis cælis super doctorem & Dominum nostrum, ad superiora nostrum latroductum aspectum: & vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à patre; Et de plenitudine gratiæ, & veritatis quæ in ipso est; instillat est nobis aliqua portio. Et cum Philippo audiuius: *qui videt me, videt & Patrem*. Multus in hoc est Rupertus lib. 4. de process. Spiritus sancti, præsertim c. 22.

*Amor Dei quàm perfectus, ex sic reuelatur Dei vnus ac Trini facie.*

147 Quia verò lucem notitiæ sequitur calor & flamma charitatis, mirum non est, tantum ante Christum veluti frigus & rigorem plusquàm brumalem, occupasse vniuersum prope orbem terrarum. Aut si in iuda per paucis selectioribus de excelso ignis imittebatur, eum tamen ignem ibi sterile, nec foras emisisse calorem suum, vt factum est



per Christum. Qua de re insigniter, tametsi paulo fufius philofophatur S. Gregorius homil. 8. in Ezech. Descripto enim Christo specie electi, subdit & glossat de eo electo, verba prophetae. [ Quid est quod mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, à lumbis & de super, aspectum ignis intrinsecus per circuitum habere describitur, & à lumbis & deorsum speciem ignis splendentis per circuitum? Inuestigandum namque est, quare à lumbis & de super, ignem intrinsecus, nec tamen splendentem ignem habere narratur: à lumbis verò & deorsum, habere ignis speciem dicitur: non tamen huc habere intrinsecus memoratur, quia & splendentem in circuitu hunc habere describitur. Quid enim lumborum nomine, nisi propago mortalitatis exprimitur? Propter quod etiam & leui decimatus dicitur: quia adhuc in lumbis patris erat, cum Melchisedech occurrit Abrahæ. De lumbis verò Abrahæ, Virgo Maria exiit, in cuius utero vnigenitus Patris per Spiritum sanctum incarnari dignatus est. Ex qua incarnatione, vniverso innotuit mundo Deus, sicut & per Psalmistam dicitur: *accingere gladio tuo circa femur tuum potentissime.* Gladium etenim circa femur potentissimus suscepit, quia sermo prædicationis illius ex incarnatione conualuit. Quid verò iste ignis designat, nisi ardorem Sancti Spiritus, qui corda quæ repleuerit incendit? De quo ipsa veritas dicit, *ignem veni mittere in terram.* Quid est ergo quod in hoc aspectu hominis qui Propheta apparuit, à lumbis superius intrinsecus per circuitum ignis ardet, à lumbis verò inferius, non ignis intrinsecus, sed in circuitu respundet; nisi quod ante incarnationem Vnigeniti, Redemptoris nostri, sola intra se Iudæa, ardorem amoris eius habuit: post incarnationem verò illius, in circuitu eius ignis respundet, quia in vniverso mundo gentibus claritatem Sancti Spiritus effudit: Prius ergo intrinsecus ignis erat, sed splendor non erat: quia Spiritus sanctus in multis quidem partibus Iudæam replebat, sed ad notitiam gentium, necdum eius lumen emicuerat. A lumbis verò eius & deorsum, ignis in circuitu splendet: quia postquam de Virgine carnem sumpsit, in humano genere longè latèque Sancti Spiritus dono dilatavit. Et notandum, quod ignis à lumbis superius per circuitum esse describitur, non extrinsecus, sed intrinsecus: quia amoris flamma, sicut dictum est, in electis & spiritualibus viris, vbique in suis finibus Iudæam repleuit. Nec tamen exhibat extrinsecus, quia se in multitudinem gentium non dilatabat. Quæ ardoris flamma visa est postmodum in circuitu splendere, quia per mundi cardines, in vniversis gentibus omnipotentis Dei caput amor excrecere. ] Verum de prima ratione cur Christus dictus sit Patris facies, & iis quæ ad eam considerationem consequuntur, plus facis.

*Ratio altera cur Christus Dei facies, con-  
suetus in eo diuinorum consiliorum  
ac iudiciorum.*

148 Est & altera ratio, cur Christus dictus sit facies ac vultus Dei. [ Vultus (ait S. Ambrosius 6. exam. cap. 9.) mentis habitum specie sui prodiit: Imago quædam animi, loquitur in vultu. ] Theodoretus non dissimiliter serm. 8. de prouid. animæ additas affectiones, vultu prodi docet. [ Voluerit aliquid anima (inquit Tertullianus lib. de resurre. car. cap. 15.) vultus operatur iudicium Facies, internorum omnium speculum est. ] Expresit Tertullianum Cassiodorus lib. de anima cap. 16. tradens à voluntate, vultum dictum, quasi indicem & speculum voluntatis & animæ. Idque sapienter à Deo pronisum fuisse, obseruat Meletius lib. de homine cap. de auribus. [ Clementissimi (inquit) Dei benignitas, arcana ipsa humanorum affectuum, morèque reconditos, talibus quæ expressimus signis in propatulo constitutis; quo propriæ salutis quilibet consulendo, fidelibus probisque moribus insigniter inhaerere, prauis ac sceleratis, vsquequaque declinare queat. ] Hinc liquidò perspicitur, cur Christus facies Dei dici potuerit, penes alterum caput à primo iam proposito. Ignorabat genus humanum arcana diuinorum consiliorum, ad latebras & profunda Dei, non penetrabat. Latebat illum vbicunque inuestigabilem Dei diuitiarum, (vt Apostolus Ephes. 3. loquitur) & dispensatio Sacramentorum à sæculis absconditorum in Deo. Quis enim cognouerat sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuerat, vt quæ Deus imo pectore versarat ab æterno, & quæ agitaueat animo consilia, euulgaret hominibus. Quibus (vt sic dicam) affectibus tangeretur Deus, obscurum erat. Non eius misericordia, in tot exemplis seueritatis per anteriora sæcula frequentissime constitutis, micabat. Peccatum odium quantum esset in Deo, nemo peruidebat, satis potenti argumento. Venit magni consilij Angelus, & eructauit abscondita à constitutione mundi. Nunc apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei: Atrocitas peccati, quæ tanto egeret malagmate, patefacta est. Licet igitur inferre, merito penes hanc manifestationem latentium in diuino pectore voluntatum, & consiliorum, ac affectuum, tulisse Christum appellationem diuinæ faciei.

*Facies Christi, Dei facies, id est  
speciosissima.*

149 Obsignemus hoc caput, ea ritè ex antedictis deducibili consecutione, quod merito Christus dictus sit facies ac vultus Dei, quia in eo ac per eum Deus prout vnus ac Trinus, eius item consilia ac decreta, facta sunt hominibus conspicua. Quia verò alia item ratione, pro vsu scripturæ, facies Dei speciosissimam faciem significat, æquè ac montes Dei, præcellos montes; habemus



quanto iure suspicienda sit faciei Christi species, ac summa, venustas, quam perspicacibus Sanctorum ad intima peruadentium oculis, lumen diuinæ gratiæ sæpe obiecit, & insigniter Sancto Bernardo serm. 45. in cent. verbis illis quibus expendit, quod sponsa de sponso dixerat, cum cum geminatione nominans *pulchrum*, & *pulchrum* [Non contenta est semel dicere *pulchrum*, nisi repetat & decorum; Eminentiā decoris illa repetitione designans. Aut certe in vtraque Christi substantia, dignum expressit omni admiratione decorum, in altera naturæ, in altera gratiæ. Quam pulcher es Angelis tuis Domine Iesu in forma Dei, in die eternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Patris, & quidem perpetuus minimè que futurus candor vitæ eternæ. Quàm mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui huius positione decoris? Etenim vbi te exinanisti, vbi naturalibus radiis lumen indeficiens, induisti, vbi pietas magis emicuit, vbi charitas plus effulsi, vbi amplius gratia radiauit. Quàm clara mihi oris stella ex Jacob; quàm lucidus flos de radice Iesse egredieris, quàm iucundum lumen in tenebris visitasti me oriens ex alto? Quàm spectabilis & stupendus etiam virtutibus supernis, in conceptu de Spiritu, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in consuscationibus miraculorum, in reuelationibus Sacramentorum? Quàm denique rutilans post occasum Sol Iustitiæ de corde terræ resurget, quàm formosus, in stola tuæ, demum Rex gloriæ, in alta cælorum te recipiet? Quomodò non pro his omnibus, omnia ossa mea dicent; Denique quis similis tui?]

*Vsus doctrine.*

150 Virgemur inde nos quoque, ad accipendam tantæ pulchritudinis participationem, eamque faciem in nobis exprimendam. Id enim est, quod iuxta Apostolum Deus voluit nos conformes fieri imaginis illius quæ Christus est, ut varij Patres interpretantur, & ut ad id conitamus, nec aliam induamus faciem vel formam, enixè commendat. Audiendus præter alios adducendos cum de Christo Rege virtutum, Origen. hom. 8. in Lucam tractans quomodò Deus magnificetur in nobis. [Si considerem Dominum Salvatorem, imaginem esse invisibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginem creatoris, ut imago esset imaginis, (neque enim anima mea specialiter est imago Dei, sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est:)] Tunc videbo quoniam in exemplum eorum, qui solent imaginem pingere, & vno (Verbi causâ) vultu regis, accepto ad principalem similitudinem exprimendam artis industriam commendare, unusquisque nostrum ad imaginem Christi formans animam suam, aut maiorem, aut minorem ponit imaginem; vel obsoletam vel sordidam, aut claram atque lucentem & splendentem ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imagi-

nem imaginis, id est animam meam; & magnificauero eam, opere, cogitatione, sermone; Tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus cuius imago est, in nostra anima magnificatur: Et quomodò creuit Dominus, in nostra imagine, sic si peccatores fuerimus, minuitur, atque decreuit. Sed nos pro imagine Salvatoris, alias nobis imagines induimus. Memini quondam circa Deuteronomium differentem, in eo loco vbi scriptum est; *ne faciatis omnem similitudinem omnis animalis*, hæc dixisse mei. Nos supra beatarum expressam in peccatore effigiem latè exposuimus, dignum præterea est in eius amorem inardescere mutuo, quia ut ait Augustinus. [Finis præcepti, & plenitudo legis, charitas est, & ut & nos inuicem diligamus; & quemadmodum ille animam suam pro nobis posuit, sic & nos pro fratribus animam ponamus; & ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos & filio suo vnico non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit eum si amare pigeat, saltem redamare non pigeat. Nulla est enim maior ad amorem invitatio, quàm præuenire amando; & nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere.] Latè & potenter id firmat. Mox verò subdit. [Operæpretium est animaduertere, quomodo quamquam & superiores velint se ab inferioribus diligere, eorumque in se studiosè delectentur obsequio, & quanto magis id senserint, tanto magis eos diligant; tamen quanto amore exardescat inferior, cum à superiore se diligere senserit. Ibi enim gravior amor est vbi non æstuat indigentia siccitate, sed vberitate beneficentiæ profuit. Ille namque amat, et miseria est; iste ex misericordia iam vero si etiam se amari posse à superiore desperabat inferior, infallibiliter commouetur in amorem; si vltro ille fuerit dignatus ostendere, quantum diligit eum qui nequaquam sibi tantum bonum promittere auderet. Quid autem superius Deo iudicante; & quid desperatius homine peccante, qui se tanto magis tuendum & subiugandum superbis potentibus addixerat, quæ beatificare non pollant quanto magis desperauerat sui curam gerere, ab ea potestate quæ non malicia, sublimis esse vult, sed bonitate sublimis est; si ergo maxime propterea Christus aduenit, ut cognosceret homo, quantum eum diligit Deus, & ideo cognosceret ut in eius dilectionem à quo prior dilectus est, inardesceret, proximumque illo iubente, & demonstrante, diligeret, qui non proximum sed longè peregrinantem, diligendo, factus est proximus.] Rursus egregie 7. confess. cap. 18. [Quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, nec inueniebam donec amplecterer mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Iesum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vocantem & dicentem; *Ego sum via, veritas, & vita*; & cibum cui capiendo inualidus eram miscerem carni: quoniam Verbum caro factum est ut infantia nostræ lactesceret sapientia tua, per quam creasti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Iesum Christum, hu-



in his humilem, ne cuius rei magistra esset eius infirmitas, noueram. Verbum enim tuum aeterna veritas, superioribus creaturaz partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam. In inferioribus autem, edificauit sibi humilem domum de limo nostro; per quam subdendos deprimeret à seipsis, & ad se traiceret sanans tumorem, & nutriendum amorem: ne fiducia sui progredierentur longius, sed potius infirmarentur videntes ante pedes suos infirmam diuinitatem, ex participatione tunicae pellicae nostrae, & lassi proderentur in eam: illa autem surgens, leuaret eos.] Quem locum descripsit S. Anselmus lib. de Sacr. alta. p. 1. cap. 8. Videndus quoque Guliel. Paris. lib. cur Deus homo cap. 7. & creditus Anselmus Rom. 5. ad illud, commendat autem charitatem suam Deus.



CAPVT IV.

Christus ledidia, dilectus Patris, dilectus, dilectio.

**Q**UO parentibus omnibus amorem pignorum suorum inferuit Deus, ut Saluianus optime rationatur lib. 3. de prouid. non potest ipse suos pignora non amare. Imo ex hoc affectu quo amare nos fecit pignora nostra, intelligemus nos voluit quantum ipse amaret pignora sua. Hoc ille de mundo vniuerso, & de quibuscumque hominibus verè ac pie: totum mundum, & totum humanum genus, pignus, id est sobolem creatoris, esse praefatus. Et tamen est mundus, aliquid planè extrinsecum Deo, nec homines ut adoptione filij dicantur, ex diuina substantia coaerunt. Vnicus est Dei vni filius, Deumquam vni & generantis sobolem sibi zqualem, ac tanto Patri commendat. Ceteri omnes ad quos diuina dignatio nomen filiorum extensum voluit, non Deum & vitaliter generantis, sed volentis, sunt filij, ut acutè distinxit Caietan. tom. 1. opusc. tract. 3. cap. 2. Si igitur fertur Deus amore in illos nomine tenus filios, quanto affectu & amore prosequi censendus est, filium naturalem? Ab eo amore, Christus, variis in Scriptura nominibus designatus legitur, quae hic considerare consilium est.

Salomon in Christi typum, tria omnis.

Illud verò in primis faciendum est quasi fundamentum, Salomonem Christi typum fuisse, in permultis quae minutatim profequuntur S. Irenaeus lib. 4. cap. 45. Beda l. qq. in 3. Reg. Propter 2. p. de promiss. cap. 27. Bernardus serm. 27. in Cant. Hugo de S. Viatore lib. 7. allegor. & ex recentioribus Pineida lib. 6. de Salom. cap. 16. & ita aperte habetur ex psalmo 71. qui Christi & Salomonis tanquam antityporum rebus intertextus est, ut fuit Ista. Pelus. lib. 4. epist. 202. Breuiter

autem idem docet Greg. Nyssen. hom. 7. in Cant. initio. [In multis, inquit, Rex Salomon assumitur in typum veri. In multis, inquam, quae à Sacra Scriptura de ipso recensentur, relata ad id, quod est melius. Nam & Pacificus dicitur, & immensam habens sapientiam: & templum aedificat, & populum iudicat in iustitia; & est ex semine David. Sed & ad ipsum venit Regina Aethiopum. Nam haec quidem omnia, & quae sunt huiusmodi, de eo quidem dicuntur typicè, describunt autem futuram virtutem Evangelij.] Demonstrat fuscè ac sigillatim, Christum verè pacificum Regem fuisse, verè templi aedificatorem, verè sapientissimum, verè ab Aethiopia Gentilitate aditum; omnibus denique Dauidici Salomonis praerogatiuis, longè illustrius ac magnificentius claruisse.

**152** Quia verò in nominibus ingentes plerumque latere auri massas, pulcherrimè tradit S. Chrysostomus hom. 31. in ad Rom. idque in Hebraeis praefertim nominibus valere, prosequitur fuscè Euseb. 11. praep. cap. 4. expendendum peculiariter est, quae aut quae nomina tulerit apud Hebraeos Rex Salomon. Trimonium fuisse multi obseruauerunt. Nec id apud Hebraeos nouum, ut multis exemplis subiectis declarat Origenes praefatione ad comment. in epistolam ad Rom. Pro eo ergo vsu, Salomon, & ledidia siue Theophilus, aut amabilis Domino, denominatus est, & Salomon, & Ecclesiastes. Priora duo fuisse propria, obseruauit S. Hieronymus ad titulum psalm. 44. & Doctorum plerique 2. Reg. 12. Tertium appellatum nomen fuit, peritum à sapientia extraordinaria, quam tot libris & orationibus sapientiae plenissimis, exprompsit.

Haec nomina, ac quaecunque alia in Salomone splendida, longè illustrius micuerunt in Christo Domino. Et quidem de Salomone & Ecclesiastes nomine, existimauit S. Hieronymus, ea in Christum casura, cum in iudicij die, tum in caelesti beatitudine, post orbis consummationem. Nam in caelo quidem, erit pacificus ponens pacem fines Hierusalem, & faciens pacem opus iustitiae, ac populo in pulchritudine pacis sedenti, & in neque opulenta, aeternam securitatem praestans. Hic est David, ob pressuras & assidua bella. In caelo Salomon pace altissima potiens, ait Petr. Damian. opusc. 37. dub. 10. In iudicio autem, concionabitur terribiliter, & aduersus impios tonabit in verbo aspero, detrudens maledictos in ignem aeternum. Iustos verò, coram concione omnium quae vnquam fuerunt amplissima, ex omnibus Angelis & hominibus conflata, collaudabit; blandaque allocutione mulcebit, & deducet ad vitae fontes aquarum, hortatus ut bibant & inebrientur, dentque obliuioni angustias priores. Denique Christo prout est in sinu Patris, quadrare ledidiam arbitratu Hieronymus. Consentit quoad nomen Ecclesiastes, Petr. Damiani ser. 1. de Nati. Deip. Et Bernardus serm. 2. de Epiphany. Nomen verò Salomonis, aint quadrare Christo hic in exilio: ledidia autem, in regno & beatitudine. Habet verò eadem planè cum Hieronymo, Petrus Blesensis ser. 19. At Salomus & Albinus Flauus, in initio commea



commentariorum ad Salomonis Proverbia & Ecclesiastem, Christum Dominum absolute ac simpliciter vocant *Salomonem*, à munere pacis Deum inter & homines conciliandem. *Ecclesiastem*, à sapientia cuius in eo omnes thesauri latuere, & *Iedidia*, quia fuit dilectus patris in quo sibi bene complacuit. Sed de Christo Rege pacifico, atque Doctore, inferius plura. Nunc *Iedidiam* & *amabilem Domino*, filiumque *aeterni patris dilectum*, consideremus.

*Christus, Iedidia, & dilectus in quo Patri complacuit.*

153. Insonuit hoc Christi nomen ab ipso patre, his manifestè: nimirum in Baptismo, & in Transfiguratione. Quod proclius orat. de Transfig. refert illud psalmi 88. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*. Nam Hermon quidem mons modicus est propè Iordanem, ubi Christo Ioannis Baptismum excipiente, audita est ea quam dixi vox Patris, Christum *dilectum* appellantis. Thabor verò mons ille est excelsus, in quo Christus transfiguratus est, & accepit à Patre gloriam & honorem à magnifica gloria, voce delapsa quæ eum contestata est dilectum. Propterea quæ S. Damascenus orat. de transfig. ait, montem Thabor ob auditam ibi hanc Christi à Patre appellationem, cum cælo de gratia certare. Ioannes verò Contacuf. orat. 1. in Mahometem, hoc ait esse, quod Thabor dictus est in nomine Christi exultasse, nempe in Transfiguratione, sicut Hermon in Baptismo. Quod verò Franc. Lucas Matth. 17. v. 1. montem excelsum in quo Christus transfiguratus est, putat fuisse Libanum, non Thabor; nec satis ab eo stabilitur, nec ullius Patris aut Interpretis suffragio roboratur. Expendunt porò Græci, geminatum articulum quo hic Christus dicitur esse *ille filius, ille dilectus*. Quæ causa fuit, cur apud Lucam & Matthæum, in gradu positivo Christus *ὁ υἱος* dictus referatur: Marcus tamen quem latinè scripsisse est probabilissimum, refert dictum *charissimum*: quia scilicet articulus additus, effert nomen aliqui positiui gradus, ad superlativum. Quod item expendunt iidem Græci, circa vocem *filij*, ait item articulus eo loco præfigitur, ut significetur, hunc esse filium illum præcellentem & vnigenitum, cui nemo similis est in filiis Dei. Vnde Synodus Francoford. epistola ad Episcopos Hisp. dilectum ait vocatum esse Christum à Patre, ut intelligeretur esse filius proprius non adoptivus. Faciunt igitur hæc omnia, ad perspicendum quanta sit erga Christum dilectio Dei, & quanto iure Christus, *Iedidia*, & *dilectus Dei*, audire possit.

Nec aliud sonant verba, quæ à Patre in duplici illa filij manifestatione prolata referuntur, *in quo mihi bene complacuit, & dicens*: quod à SS. Luca & Marco omisum, retulit S. Matthæus, & S. Petrus 2. epist. cap. 1. Estque additio gravissimo sensu plena, ut fuscè versat Cassianus lib. 3. de Incarn. in fine,

his præter cætera. [Ineffabili divini dilecti magnificentia, cum expressè ac significanter dixisset Pater, *hic est Filius meus dilectus*, addidit etiam illud quod secretum est, *dilectum* scilicet *in quo mihi complacuit*. Vtique sicut per Prophetam, Deum fortem & Deum magnum iam prædicauerat, ita hic dicens, *Filius meus dilectus in quo mihi complacuit*, super proprii filij sui nomen adiecit, ut proprietatè divinæ videlicet naturæ, nominum significaret adiectio, & id ad honorem filij Dei peculiariter pertineret, quod nulli omnino homini contigisset. Itaque sicut illa propria & peculiaris in persona Domini Nostri Iesu Christi fuerunt, quod cæli aperti sunt, quod eum Deus Pater cunctis videntibus per adventantem atque astantem columbam, quasi manu quodammodo sua tergit, & quasi digito indicante monstravit, dicens, *hic est Filius meus dilectus*, ita illud quoque proprium ei ac singulare quod peculiariter dilectus, & peculiariter Patri complacuit nominatur, ut peculiarem vitæ naturæ significationem, peculiaris addicamenta monstrarent, & proprietatem Vnigeniti filij, etiam cognominum proprietates confirmaret, quam iam honor signorum præcedentium comprobasset. ] Vtrumvis autem & duobus præcipuis ac potioribus modis, quibus hoc verbum à variis Patribus intellectum est, approbemus, æquè habebimus, quod hoc loco intendimus, nempe Christum esse *Patris dilectissimum*, & *Iedidiam*.

*Sive quia per eum conciliatus est, qui inquit ut in Sabbatho.*

154. Nonnulli ergo Patres placuisse vel complacuisse sibi Deum in Christo prodiderunt, quia in eo Deus hominibus conciliatus est, perque eum placatus factus est mortalibus, quos iure habebat exolos ob culpam. Deus enim cum & homo & Angelus corruissent, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed ex mero suo beneplacito, statuit abiectis Angelis hominem reparari, eique reconciliari: & hoc beneplacitum suum per Christum implevit, ut Ephel. 1. habetur. Propterea quæ S. Hieronymus in psalm. 68. ad illud *tempus beneplaciti Dei*, tempus beneplaciti interpretatur tempus adventus Christi, ad humani generis reparationem. Et perspicue in hunc sensum hæc verba accipiunt, Proclus & Damascenus, uterque orat. de Transfig. apud quos *Deum sibi in Christo complacere*, idem est quod Deum in Christo quiescere. Commotus enim propter peccata fuerat Deus, nec ulli quietem inuenerat ante Christum. Per eum verò sedatus est, & in eo placatus quietuæ velati sabbatizavit.

Hæc causa est, cur à plerisque Patribus Christus Sabbathum vocetur. Egregie Epiphani. hæc. 30. num. 32. cum ex Iudeorum vitiis, distinxisset magnum & primarium Sabbathum, subdit. [Magnum Sabbathum, hoc est Christus, qui quietos nos fecit à peccatis nostris, cuius figura erat Noë: quem ubi Pater



Pater eius genitum vidisset, iuxta prophetiam imponebat ipsi nomen Noë, dicens: hic quietus faciet nos ex peccatis nostris; id est, davis operibus nostris. Noë verò à peccatis quietos non fecit, sed in Christum prophetavit Lamech, qui per Noë significatur in veritate. Noë enim requiem significat, & *Sabbatum*, quod *Sabbatum*, ac *requiem* interpretetur, est Christus, in quo quietus factus est Pater, & Sanctus eius spiritus, & omnes Sancti homines in ipso quieti facti sunt, quiescentes à peccatis. Hic est magnum illud Sabbatum, & perpetuum, cuius figura erat parvum Sabbatum, quod inserviebat usque ad ipsius adventum. Locum huic affinem ex Ruperto lib. 2. in Genes. cap. 17. protuli tractans Christi innocentiam. S. quoque Cyrillus, Sabathismum interpretatur tempus aduentus Christi, & Christum Sabbatum esse, fasè prosequitur lib. 7. de ador. ac quietem illam non refert ad Deum, sed ad nos qui per Christum à peccatis cessamus, & bonis omnibus replemur, atque vere quiescimus: Quod re ipsa videtur eodem revolvi. Nam hæc quies nostra, ex Dei quiete per Christum perfecta est. Nisi enim Deus nobis placatus per Christum fuisset, æque in peccata proclives fuisset, ac sub lege.

155 Itaque Petrus Damiani, de Christo spirituali Sabatho latè disputans, lib. 2. epist. 5. utramque illam causam denominationis *Sabbati*, Christo tribuat, coniungit. In hoc itaque Sabatho acquiescimus cum in illo solo spem ponimus; cum hunc toto cordis amore diligimus, ac rerum temporalium concupiscentiam postponentes, à serviliū opum labore cessamus, atque ubi exponitur primæ tabulæ præceptum fuisse obedire Angelis præcedentis vocibus, & Sabbatum colere, subdit. Quia per Sabathum Christus invenitur, rectè in illa tabula Sabbati mandatum ponitur, ubi sola fides Dei habetur. Nam & in ipso mundi nascentis exordio, cum nunquamque diem scriptura manè præfigat, & vespere; iam cum ad Sabbatum pervenit, neutrum horum nominat: vltud quæ sine initio esse, vel sine, prorsus ostendit. Nam stylus historiæ hunc ordinem tenet: factum est (inquit) vespere & manè dies sextus; Igitur perfecti sunt cali & terra, & omnia animalia eorum; statimque subiungit: Complacuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo de universo opere quod paraverat. Non enim ad instar aliorum dicitur, de creatione Sabbati pridè aliquid dixerat, sed sic ad illud quasi iam notum repente protupit: & dum nec manè eius, nec vespere dicitur, quodammodo nec initium, nec finem habere monstravit. Ad similitudinem quippe Melchisedech Sacerdotis, etiam Sabbatum Moyses introducit, de quo ad Hebræos dicit Apostolus; Rex Salomon, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, neque finem habens: assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum. Et rectè quæ vnum sub allegorica figura significant, in ipso quoque descriptionis ordine non discordant. Illud quo-

que ab utroque discrepat, quia sicut Melchisedech, Rex Salem, Rex pacis dicitur, nihilominus, Sabbatum, requies interpretatur. Igitur hæc duo quæ pacem siue requiem suis nominibus exprimunt, congruenter in hunc, qui summa pax est, typica significatione concurrunt. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque vnum. Et rectè in hoc Sabatho rerum conditor requieuit, quia in Christo Iesu, mediatore Dei, & hominum Pater omnipotens, quod se posset offendere, peritus non invenit. In eo denique meritò requieuit, & nos requiescere præcepit. Unde & in Levitico dicit: Sabbata mea custodite, & sanctuarium metuite. Qui enim Sabbatum, ipse & Sanctuarium. In quo videret habitare omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & de quo idem dicit Apostolus: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.

Liquet quomodo Pater in Christo sibi complacuerit, iuxta primam illam quam dicebam horum verborum interpretationem, probatam plerisque Patribus, & recentiorum interpretum gravissimis; Maldonato Matth. 3. & Toletò Lucæ 9. annot. 81. Quæ sanè interpretatio, (ut præmittebam,) apertè fert, summum Patris in Christum amorem; quandoquidem in eius gratiam interpositis tam multis tamque atrocibus offensionum causis, humano tamen generi conciliatus est, & cessavit ab indignatione; quæ tunc super nos spiritus eius.

*Sine quia nihil in eo invenit odio dignum,*

156 Alium sensum eorundem verborum, ineunt quidam Patres, qui æquè prodit dilectum Patri Christum, verèque *Iedidia*. Sanctus enim Gregorius hom. 8. in Ezech. idcirco ait, Patrem professum esse quod sibi in Christo complaceret, quia nihil in eo invenit non dignum amore. Quæ ratione nemo mortalium præter Christum, fuit obiectum divini beneplaciti; cum de sanctorum potioribus vnus, professus sit, veritatem non esse in eo, qui se peccati exortem dixerit. Et alius iis se annumerans, contestatus sit, omnes in multis offendere. Quare S. Gregorius hoc esse ait quod ab Ezechiele dicitur, cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & sub mittebant alas suas. Sic enim hæc verba glossat. Firmamenti nomine, mediator Dei & hominum pro assumpta humanitate debet intelligi, quia sub vnus nominis appellatione solent per Prophetæ spiritibus multa signari. Vox super firmamentum facta est, quæ super baptizatum Dominum de cælo sonuit, dicens: Tu es filius meus dilectus, in te complacui; sicut per Evangelistam alium, dicitur. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quæramus igitur, quomodo hanc vocem animalia audiunt, & alas deponunt. Abacuc propheta requisitus dicat; Domine audiri audierunt iunior, & timui: consideravi opera tua & exavi. Quid autem est, quod Pater de filio loquitur, dicens: In quo mihi complacui? Omnis enim qui penitendo corrigit aliqua quæ facit, eo ipso quo-

K poni



pœnitet, se sibi displicuisse indicat, quia emendat quod fecit. Et quia omnipotens Pater, sicut intelligi ab omnibus poterat, humano modo de peccatoribus loquutus est, dicens, *pœnitet me fecisse hominem super terram*: quasi sibi ipse displicuit in peccatoribus quos creauit. In solo autem sibi Vnigenito Domino nostro Iesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem, creasse eum non pœnituit omnimodo, in quo peccatum nullo modo inuenit, sicut de illo per psalmistam dicitur: *Iurauit Dominus & non pœnituit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. In solo ergo sibi Redemptore nostro complacuit Pater, quia in solo non inuenit culpam, in qua se reprehendat quasi per pœnitentiam. Sancta itaque animalia vocem super firmamentum audiant, & pertimescant: quia si solus sine peccato est, in eius innocentia aspiciunt, in quantis ipsa quotidie delinquant, quæ necesse est ut incessanter deficiant. ] Eodem planè modo, verba Patris de Christo, interpretatus est Paulinus Aquileiensis in libello Sacrosyllabo, sic scribens. [ Discreuit qui essent serui per gratiam, & per adoptionem filij, & qui verus ac proprius filius: *hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite*. In Adam quippe sibi Deus pater displicuisse innouit, qui peccando filij dignitatem amisit.

Præiuerat autor sermonis de baptismo Christi apud Cyprianum, verbis illis. [ Per omnia sibi pater in filio complacuit, nec vlla in eo serpentis sunt reperta vestigia, nec Sacerdotij eius pœnituit Deum. ] Ex hoc igitur secundo modo quo potest dici pater placuisse sibi in Christo, verissimum est, Christum fuisse Iedidab, siue dilectum Patris, & amabilem Domino. Filium enim tam morigerum, & qui nihil vnquam meritis Patris intulerit; quin potius ad discolorum filiorum iniurias erga Patrem obseruandas, mortem appetierit, quidni Pater optimus habuerit dilectissimum; qui etiam ingratis, & filiorum nomine indignos, tanto amore præuenit, ut omnem admirationem superet eius cogitatio, tanto magis æstimatio.

*Christus anima Patris, eius typus Ioseph dilectus.*

157 Has ob causas, Pater æternus, Christum animam suam appellat, nomine parentibus in dilectissimos filios non inuitato, etiam apud profanos. Dicitur enim Leuitic. 26. *non abominabitur vos anima mea*. In quæ verba Origenes hom. 16. in Leuit. in fine, sic scribit. [ Velim requirere quid est anima Dei. Nanquid nam putamus, quia Deus habeat animam, sicut homo? Absurdum est hoc sentire de Deo. Ego autem audeo & dico, quia Dei anima Christus est. Sicut enim Verbum Dei est Christus, & sapientia Dei, & virtus Dei, ita & anima Dei est. Et hoc modo dicitur, quia non vos abominabitur anima mea, id est, filius meus. ]

Isdem rationibus, nisi præter cæteras vult analogiam Christi cum Iosepho Patris

dilecto, Macarius Chrysoceph. hom. de cruce eis exalt. eius hæc sunt verba. [ Ioseph neque apud fratres talis audiebat qualis reuera erat, neque etiam apud mulierem Ægyptiam: sed eos quidem inuidia eò impulsi, ut serui nomine afficerent eum qui liber erat. At hæc intemperantiam contra temperatissimum iuuenem mendaciter excogitauit: Apud patrem autem eum quem merebatur locum obtimebat, à quo tenerissimo quoque affectu diligebatur. De Christo itidem neque Gentiles ut par est sentiunt, & loquuntur, & Iudei multa impia & blasphema de eo garrunt: quia his scandalum, illis stulticia, salutare crucis verbum reputatur. At verò Deus & Pater, superis ex oris diuinitatem eius testatur, filiumque dilectum vocat, & per cognitum spiritum mundo ostendit & manifestat. Hunc in modum formosissimus ille Ioseph, dulcissimum nostrum Saluatorem expressit. Hunc in modum vmbra veritatem typet adumbravit. Hunc in modum is qui Ægypto alimenta suppeditauit, per ea quæ tulit, quæ egit, & per quæ à Deo gloriam celestemque famam consecutus est, eum qui omnem spiritum nutrit, & pro nobis mirabilia opera patrauit, torque cruciatus sustinuit, Dominum gloriæ symbolice præannuntiat. ]

158 Hæc tamen non eò pertinent, ut significemus, hoc Christi nomine designari, vnionem hypostaticam ececidisse sub Christi meritum. Id enim falsum esset, & rectè dicitur à Philippo Abbate lib. de damnatione Salomonis non multum ab initio. [ Vocata (inquit) nomen eius; Salomon, & Dominus dilexit eum, nisi que in manu Nabon Prophetae, & vocauit nomen eius, amabilis Dominus, & quod diligeret eum Dominus. In Hebræo ut aiunt, habetur; vocauit nomen eius Iedidab, id est dilectus propter Dominum. Super quo traditio habet Hebræorum, quod propter suam misericordiam Deus illum dilexit: cum diuina dilectione dignus ille non fuerit, repositus de illa quam contra Domini voluntatem, Dauid sibi acceperat in uxorem. In hoc autem quod *dilectus propter Deum* appellatur, ille ut arbitror figuratur, de quo in Evangelio dictum est; *hic est filius meus dilectus in quo bene complacui*. Homo enim etiam ille quem in vnitæ personæ sibi assumptus Verbum Dei, nihil meruerat ut assumetur, ut diligere. Scilicet quidquid assumens assumpto contrahit, assumptus non meritis sed gratia assignat; de quo Propheta precinuit, dicens: *Beatus quem elegisti, & assumpsisti*. Beatus nimirum ille fuit, qui non eligens, est electus, ut ad eum quoque dici possit, quod ad nos dictum est, *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. ] Itaque amauit Deus Christum, quia id optime meritum non tamen ex merito fecit eum Christum.

*Christum antonomastice dilectum.*

Quæ subtexam impense Christo dilectionis nomina, video posse ad aliorum, quam ad Dei in Christum amorem pertinere. Dicitur enim Christus absolute dilectus, vel cum geminatione dilectus dilectus, vel dilectus & dilectus.



lecto vel in abstracto dilectio: quæ æquè possunt accipi de Christo prout obiecto amoris nostri, aut beatorum, ac de eodem prout obiecto amoris diuini. Quo tantum secundo modo hic Christum spectamus. Quia tamen appellationes illæ æquè in Christum cadunt prout diuino amoris obiectum, ac etiam prout eum amoris nostro obuersantem designant; multo magis Dei amorem erga eandem insinuant; cum Deus multo sublimius & purius diligit, quicquid nos sanctè ac purè amamus. Idcirco rectè hoc loco illas quoque Christi appellationes attingemus.

159 Dicitur ergo Christus absolute dilectus; inprimis in psalmi 44. titulo inscribitur enim *pro dilecto*. Eum verò dilectum, non alium esse quam Christum, vulgarissima est interpretum propè omnium sententia. Eodem quoque nomine donatur passim Christus in Canticis, & vniuersaliter ubique *dilectus* absque addito ponitur, intelligendum esse Vnigenitum Patris. Aobseruat S. Augustinus in psal. 67. ad versum 13. quod egregiè confirmatur perillustri loco S. Athanasij orat. 5. contra Arianos, verbis illis. [Quin & Ethnicæ literarum periti, sciunt hanc vocem *dilectum*, idem valere cum hoc vocabulo *vnigenito* quum Homerus Telemachum vnigenitum Vlyssis, *dilectum* appelleret. Idque in secundo Odysseæ.

*Quid nam charè suo voluisti sub pectore filii.  
Aut cunam statuas peregrinas visere terras?*

Solu *Dilectus* siquidem præclarus Vlysses.  
Ignotos inter perit præcul urbe, domoque.

Nimirum quia vnicus erat patri suo, *dilectus* appellatur. Ibidem non ita multo ante, Christum *dilectum*, idem sonare ait quod Christum Dei manum, in sinu Dei positam: & vitumque idem esse monet ac filium vnigenitum. [Quem Ioannes (inquit,) filium appellat, hunc David *manum* appellauit. *Vi quid queritis manum tuam, & dexteram à medio ferri tui?* Ergo si manus est in sinu, & filius est in sinu, ipse filius fuerit manus! & ipsa manus fuerit filius, per quam Pater omnia fecit. Tu enim (inquit) *manus* fecit hac omnia. Et, *manu tua eduxisti populum*. Ergo hoc ipsum per filium fecit. Quin & ipsa *manus* dextre excelsi; & etiam illud *in finem* pro mouendis; Canticum super dilecto: dilectus scilicet manus illa est, quæ mutationem accepit, de qua etiam loquitur vox illa diuina, *dilectus filius meus dilectus*. Idem ergo est *manus* mea, ac si diceret *filius meus*.]

Nolo præteritum vnicum dumtaxat è locis innumeris, quibus Christus antonomastice (vi D. Augustinus loco proximè notato admonet), dicitur *dilectus* quia dilecti opus insignè extollit. Christus ergo psalmo 28. dicitur *dilectus quemadmodum filius vnicornium*; quem locum Christo aptat Richardus Victorinus in illius psalmi expositione, monitæque significare modum quo Christus, fortissimè instar vnicornis confringit cedros; diuersum à modo quo Deus eas comminuet. Nam Psaltes, & Deum, & dilectum eius, comminuturum cedros Libani, affirmat eo psal-

mo. Nec aliud est iuxta Richardum ea confractio vel comminatio, quam arrogantia nostræ deiectionis à Deo facta, per terrorem: à Christo autem per suæ humilitatis exhibitionem. [Quando ergo quis Domini considerata potentia, in conspectu tantæ maiestatis altum sapere erubescit, & aliquid contra eius voluntatem præsumere pertimescit, absque dubio Dominus in eius corde elationum cedros confringit. Alius visa dilecti nostri mira humilitate, confunditur superbus apparere, cum videat Dominum maiestatis formam serui accipere, legem implere, hominibus obedire, improperia hominum, crucis probra patienter sustinere. Quando ergo quis viso Dominicæ humilitatis exemplo in sua præsumptione confunditur, & ab omni altitudine pristini tumoris deicitur; patet procul dubio quod dilectus iste cedros malè rigida mentis confregit, & tanquam vitulum Libani (hoc est ad similitudinem sui,) comminuit. Rectè ergo dicitur, *confringet Dominus cedros Libani & confringet eos tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium*.]

160 Itaque Christus ex vna parte inmississimus, quippe victima & vitulus Libani; id est è cælo huc missus, & sacrificio additus; ex altera fortissimus, & vnicornis, conteret & comminuet cedros, vt vitulum: sua perbos inquam mortales deducet ad modestiam & humilitatem, qualem ipse suscepit viuens, ac præsertim moriens. Ita vt comminutio cedrorum tanquam vituli, non pertineat ad comminutionem aurei vituli à Mose comminuti; quo hanc comparisonem refert Nyssenus hom. 14. in Cant. quid enim vitulus aureus, ad vitulum Libani, sed pertineat ad Christi ipsius comminutionem moralem: id est plenam deiectionem & humiliationem, quam viuens ac maxime moriens prodidit. Eam verò comminutionem, dilectus suauitate humilitatæque suæ perficit. Nihil enim aptius ad implantandam animis nostris humilitatem, consideratione tantæ Christi humilitatis. Videtis Franciscum Picum lib. 1. de morte Christi & propria cogitanda cap. 8. & 9. & lib. 3. à cap. 4. aut potius Nazianzenum qui impossibile esse superbire, recogitantem Christi inter latrones confixionem, præclare dixit, orat. 20. Nec non Augustinum serm. 37. de diuers. qui superbiz nostræ exitium extremum, in recogitatione tantæ Christi depressionis, sitam docei. Nihil item efficacius ad patientem incommodorum perpeffionem, quam attenta perspectio modi quo Pater dilectum habuit, iuxta illud Augustini ad psal. 31. *in fine*. [Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Irane omnem? ubi te volebas abscondere? Omnem; & nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid ad omnem? Vis audire quem omnem? Etiam vnicus sine peccato, non tamen sine flagello.] Dilectus itaque, cum aliis viis, quatenus nobis obuersans in tanta demissione quam vltro suscepit; vel tantam demissionem patienter & humiliter à Patre excipiens; ad similitudinem comminutionis & humiliationis suæ, conterit & deiecit superbiam



biam nostram. Estque hæc insignis planè potentia, & dilecto conuenientissima, spectato modo quo exprimitur. Dilectum enim suauitatis potius quam robusta manus decet. Quid verò filius à Patre dilectus, tanta nos dilectione profecutus repositat à nobis, dicam inferius.

*Idem, dilectus dilectus, & dilectus ex dilecto.*

161 *Dilectus dilectus* nominatur Christus psal. 67. verbis illis. *Rex virtutum, dilecti dilecti & speciei domus diuideret spolia.* Eam geminationem in aliquibus codicibus asterico suffixam, S. Augustinus obseruat, ad commendationem dilectionis pertinere: vt non aliud sit *dilectus dilectus*, quam *amantissimus* vel *dilectissimus*. Apud Hebræos enim, congeminatione illa amplitudinem & vbertatem sonat. Vt cum dicitur, vnguentum descendisse in *barbam barbam*; id est promissam & prolixam barbam. Et cum Isaias populum compellens, ait; *consolamini consolamini*, id est *valde consolamini*. Dilectus ergo dilectus, id est dilectissimus. Rex autem virtutum dilecti dilecti, id est exercituum Christo duci parentium, totius scilicet militantis Ecclesie; vel est Deus pater qui verè est Rex cui Christus est dilectus dilectus, (quem sensum valere posse, agnoscit idem S. Augustinus: ) vel certè est ipsemet Christus, quem item sensum D. Augustinus proponit: supponens plerumque in scripturis, præsertim in veteri testamento, loco pronominis possessiui reperi nomen. Vt cum toties legimus, *fecit Moses sicut præceperat Dominus Moysi*: quod nos dicemus, *sicut præceperat ei Dominus*. Christus ergo dicitur autor & Rex exercitus Christi, qui nomine dilecti dilecti, vtrumvis & propositis sensibus amplecti placeat, designatus est. Et huic ductori tribuit David, non modò quod verbum daturus sit Evangelizantibus; sed etiam quod ad domus sue ornamentum ac speciem, tributurus sit diuideret spolia, & vberem prædam animorum colligere, ac in Ecclesiam inferre.

Non habet reuera alium sensum, quod alibi Christus *dilectus ex dilecto* appelletur, quam cum *dilectus dilectus* dicitur. Sensus enim vtrique est, summè ac super omnes diligi Christum, & esse antonomasticè dilectum. Richardus quidem Victorinus, & alij nonnulli, *dilectum ex dilecto*, interpretantur Deum verum de Deo vero: ita vt contineat ea appellatio, rationem primam summi amoris, quo pater Christum prosequitur: quia scilicet & secundum naturam diuinam est filius Dei consubstantialis Patri, & secundum humanam quoque ex Deo est; quatenus non agnoscit in terris patrem. Sed verius est, quod recentiores interpretes passim obseruant, particulam Hebræam cui in textu nostro respondet particula *ex* polyonimam esse; & interdum idem valere quod *ex*, interdum autem idem quod *præ*, & sonare comparationem seu præcellentiam. Vt cum psalm. 134. dicitur, *mirabilis facta est scientia tua ex me*; id est *præ me*: altior scilicet es, quam te

lusciosis meis oculis possim peruadere. Dilectus ergo ex dilecto Christus est, quatenus præ omnibus dilectus est, cum ab aliis tibi diligentibus, tum maxime à patre, qui eius formam speciosam, atque Deo amabilitatem præ filiis hominum, optime perspectam habet.

*Idem expressus per Patris annulum.*

162 Argumentum tantæ dilectionis, qua Pater Christum prosequitur, illud est sanè luculentum, quod annulus patris est, atque signaculum: vt de Zorobabele in Christi typum dicitur Aggei 2. non modò quia est sigillum quo Pater omnes adoptionis filios vult obsignari, vt concinnè dixit Nazianzenus hymno de Christo: nec quia est quasi signum appositum ad tutelam electorum: nec denique quia est character militaris electorum omnium manibus inscriptus; quas rationes vocandi Christum nomine *signaculi*, illustrat pluribus Cæsar Aggei 2. in fine. Sed ea præsertim de causa Christus *signaculum*, & *annulus signatoris Patris*, appellari potest, quia nihil Pater concedit nobis, nisi per Christum & eius merita obsignetur. Aliqui eam ob causam vocant Christum *eiusdem Regis paterni sigilli*. Sic enim Hymnus Græcanicus ad Christum, qui subiunctus legitur metaphrasi Appollinatis in psalmos & Sacra Cantica, hæc de Christo habet.

*Est hominum amator Christus Deus, pater dator,*

*Benignum cor habens supplicibus, & rectis mente:*

*Pronus & condans, misericordie patris sigillum custodit,*

*Omnigenum bonorum hominibus dona suppeditat.*

Stephanus Cantuariensis in cap. 8. Ethier, Dei annulum Christo commissum, ex crucis cornibus confectum docet. Vnde Christus qui crucem tulit, annulum Dei gessit. Malim tamen, Christum appellare ipsum annulum Dei. Si enim signatoris Principum annulis quibus diplomata muniuntur, principum ipsorum imagines exprimerent in chartis prius vsus tulit; (symbola enim annulis signatoris insculpta, quæ exhibet Clement. Alexan. 3. pædag. cap. 11. ad priuatorum potius morem pertinebant;) multo magis Dei principibus quibusvis longè præcellentis signatorio annulo, imaginem suam exprimi par fuerit. Ea verò nullibi illustrior quam in Christo Deo & homine, vt optime tradit S. Athanasius serm. de Deip. exponens quomodo apud Paulum Christus dicatur *substantia Patris character*. [ Vt enim annulo signatorio species aliqua effigietur, quam & imaginem expressam & sigillum appellamus, nihilque quatenus ad suos pertinet, deficit ab exemplari suo: ita quoque filius eandem cum patre formam gerit. Non enim eandem impressa imago ab imprimente signaculo: sed incommutabilis præferat iuxta (sculpturam annuli: siue in cera, siue in auro signaculum illud effigietur sit, pro ratione Regij numismatis



numismatis : Ita quoque diuinus character filij substantiæ patris incommutabile sigillum est, ferens omnia verbo potentia suæ, secundum suum ipsius exemplar, carni quæ suæ quasi ceræ eum typum formamque impressit. Non enim est impossibile vel incredibile, ut tempore Patris voluntati grato, ut character (siquidem & character est,) Incarnationem in se configuraret qua veluti pro cera aut quasi pro auro usus videri potest, quemadmodum totum illud mysterium ineffabilis huius & inenarrabilis Incarnationis nonnihil subtestatur.]

Egregie in eandem sententiam Richardus Victorinus in psal. 71. multis enim præmissis de minera auri ex quo caro Christi est formata, hoc est de vtro Deiparæ, de quæ eiusdem auri excoctione, subdit. [Ex huiusmodi auro formatus est annulus, lapisque pretiosus, & in eo imposita est forma summi Regis & imago impressa, ut plenè expressa. Aurum optimum caro Christi, lapis pretiosus, anima Christi, figura & imago Patris, diuinitas Christi: qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, nihilominus tamen humanitati nostræ est vnitus, ut ex duabus naturis tribusque substantiis, esset quasi in vno annulo iunctus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus; & fieret dextera excelsi ornatus. Huius annuli signaculo, signatum est illud edictum, vel chirographum, in quo liberata est captiuitas Iudæorum. Hic est annulus Amon, Principi ablatum, & Mardocheo Regia clementia commissus: & quem hæretica peruersitas perdidit, ergo Catholicorum Doctorum acquisiuit aliquis in nobis factus filius prodigus, qui doctum mortuus est, & iam reuixit, perierat & inuentus est, date hunc annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius. O quantæ honore vnusquisque nostrum in hoc annulo donatur, quandoquidem in eiusmodi ornato, & ipse pater gloriatur.] Tandem Zeno Veron. serm. de Iuda Patriarcha exponens mysticè annulum ab eo datum Thamar. [Annulus (inquit) signaculum fidei est, quod est Christus, cuius illustratione maiestatis impressi atque signati, qua syncerè viuentes in custodiam nostræ salutis, per Spiritum sanctum, imaginem referimus quam tenemus.]

*Christus, dilectio, ex Scripturis veteris Testamenti.*

163 Dilectionis denique nomen, Christo tributum aliquoties legimus, cum in veteri, tum in nouo Testamento. Ad Christum enim potius quam ad Salomonem referendum est, quod habetur Cantico 3. in descriptione lecticæ, seu gestatoris sellæ, (ferculum vocat vulgatus,) de lignis Libani, cuius columnas Rex argenteas fecerat, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media contrauerat charitate. Media, seu medium sellæ, consterni charitate, iuxta aliquos est, opere ex pretiosis gemmis tessellato exornati, & in eo esse dilectionem. Ita enim

aperire ferunt 70. Graues Interpretes, opus illud, Symbolum aliquod vel emblemata amoris, media in sella appositum interpretantur. Nec puto improbandum. Quod tamen illud Symbolum, voluit esse columbam, præsertim si re ferant ad ea quæ de geminis columbis se se respectantibus & amorem conciliantibus aliqui proponunt, est planè ludicrum, & merum commentum. Non incommode autem dixerimus, ipsiusmet amoris siue sponsi expressi amoris nomine, (vt etiam à S. Ignatio in Epistola ad Rom. referente etiam Dionysio lib. de diu. nom. cap. 4. p. 1. factum est,) collocatam opere tessellato media in lectica dicemus. Sicque verum erit, erit, quod alij verterunt, *medium tenet ipse accensus*, in sua scilicet effigie, opere gemmarum lapillis pretiosissimis concinnata. Alij verò (quod nobis perinde fuerit,) medium charitate tenet, idem esse censent, ac in medio sellæ, *amorem*, id est sponsum ipsum cum sella gestaretur, insidere solum. Et ita accipit hunc locum Pineda lib. 3. de Salom. cap. 9. num. 7. & Iustinianus 2. Theol. 2. v. 10. Iuxta huiusmodi ergo interpretationes, quia Salomon cuius ibi ferculum & sella curialis describitur, non est typicus ille Salomon, sed Christus Dominus; constat Christum dici *dilectionem ipsam*, ipsamque amorem non modò sponsæ & filiarum Hierusalem, Ecclesiæ inquam peregrinantis, & auium cœlestis Hierusalem sed præcipuè Patris.

Quod item Ecclesiastici 24. dicitur *ego mater pulchra dilectionis*, ad Deiparam, eo quod Christum dilectionem pulchram peperit, accommodant multi, & latè Richardus à S. Laurentio lib. 6. de Deip. Cuius tamen ratiocinatio agrè sapit, sic enim scribit. Christus emphaticè dicitur *dilectio* quasi *duos ligans*, quoad duas naturas: scilicet Deum & hominem assumptum Deo in vnitatem personæ, quando Verbum caro factum est; per dilectionem quam habuit ad genus humanum. Colligauit sibi naturam humanam, quia dilectio, est diligentiæ & rei dilectæ quasi quædam vnio, potissimum in bonis, & naturaliter illud quod amatur, in sui naturam, suam conuertit amatorem. Per dilectionem etiam quam habet ad nos, colligat nos sibi ipsi, quia *qui adheret Deo, vnus Spiritus est cum eo*, 1. Cor. 6. vnitatem scilicet amoris & gratiæ. Vnde Psalmista, *mibi adherere Deo bonum est*. Psalmo 72. Per dilectionem etiam qua diligit hominem, colligat ipsum hominem sibi ipsi, & quasi conglutinat ne disfluat per vitia & peccata. *Cor enim faui*, id est peccatoris, quasi *vnus confectum*. Ecclesiastici 21. vel etiam *pulchra dilectionis*, id est Christi, vt supra dictum est, qui solius pulchrè diligit & a quo habetur pulchra dilectio. Ipse enim charitas est 1. Ioannis 4. ergo pulchra dilectio, quia charitas forma est & deaurata, siue pulchritudo virtutum.]

164 Non semel item S. Ambrosius ser. 5. in psal. 118. Christum in scriptura vocatum *dilectionem* arbitrat, vt eo loco Cant. 2. *constituite in me dilectionem*. Ita enim legit, vbi nostra vulgata habet *ordinate in me charitatem*.



tatem. Ibidem quoque à Christo vulneratam dici animam censet eodem Canticorum capite, ubi dicitur, *vulnerata charitatis ego sum*. Ita quippe legit, & exponit vulneratam Christi animam. Denique de Christo item accipit, illa alta verba ibidem quæ sic legit. *Adiuravi vos filia Hierusalem in virtutibus & fortitudinibus agri, si suscitaueritis & resuscitaueritis dilectionem, usquequò voluerit*. [Suscitatus est à mortuis, ut leo. Vnde ait Scriptura, *quis suscitabit illum*? Non enim poterat illum aut Angelus, aut potestas suscitare aliena, cum ipse alios resuscitaret. Ergo cum hic dicit: *si suscitaueritis, aut resuscitaueritis charitatem usquequò voluerit*; de iis dicit, qui resurrectionem eius possunt congruè prædicare, ut audientibus ardorem fidei & deuotionis accendant. Vel suscitatur Christus in iis qui postquam accesserint, dormierunt. Dormit ergo Christus negligentibus, suscitatur in sanctis.] En quomodò Charitas Christus, suscitatur iuxta Ambrosium. Nazianzenus orat. 6. in fine, aperte ita vocat charitatis patens, imo ipsa charitas, (his enim nominibus præcipue delectatur, ut per ipsa quoque vocabula mutuum amorem quasi lata lege promulget,) nouum mandatum dedit, ut tanto nos ipsos mutuo diligamus quàm dilecti sumus.]

## Item ex nouo.

165 In nouo Testamento est locus pulcherrimus 2. Thessal. 2. ubi Antichristi aduentus describitur, secundum operationem Satanæ, in omni virtute & signis, & in omni seductione iniquitatis iis qui perueniunt, eo quod (inquit Apostolus,) *charitatem veritatis non receperunt ut salui fierent*. Quam dicat charitatem veritatis, non æque consentiunt omnes. Sed cum consister iis verbis designari charitatem veram, Hebraico idiotismo, (cuiusmodi Apostolus etiam græcè scribens sæpè vsurpat,) nonnulli eam veram charitatem intellexerunt putam & veram dilectionem: quasi diceret Apostolus, meritò Iudæos fore implanandos ab Antichristo, quia pro vero amore quo ferri in doctrinam Euangelicam debuerant, dilexerunt magis tenebras. Cum tamen hoc non sit aded propriè recipere amorem, (recipi enim propriè est personatum non affectum;) malim cum S. Chrysostomo, Theodoro, Theophylacto, & Oecumeno, ad eum locum, charitatem veram eo loco, accipere Christum ipsum. Apertèque suffragatur S. Cyprianus epist. 55. qui ita hunc locum allegat: *Dilectum veritatis, non habuerunt*. Et sub finem libri de lapsis, *Dilectum veritatis non receperunt*.

Existimari quoque, dilectum discipulum, Christum nomine dilectionis & charitatis significasse, epistolæ primæ cap. 4. ait enim, *clarissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, ut viuamus per eum. In hoc est charitas. Non me latet, hæc verba passim accipi de amore qui est actus*

internus Dei, & ipse Deus. D. tamen Augustinus ponderans illa verba, *charitas ex Deo est*, accipit charitatem in hoc capite, non essentialiter, sed notionaliter. Et cum non possit in Patrem cadere qui non est ex Deo, (id enim de filio tantum vel Spiritu Sancto dici potest ut ipse D. Augustinus rectè admonet,) aptat eam Spiritui sancto, qui cum procedat per voluntatem, dicitur *charitas patris & filii*. Nolo explicationi tanti Patris obistere: sed quod mihi occurrit, aperio. Existimari, non minùs consentaneè, dictum Ioannis *Deus charitas est*, & illud *charitas Dei in nobis*, de ipso Christo accipi posse, aut etiam debere. Quod enim ibi ait Ioannes, *Deus charitas est, in hoc apparuit charitas Dei in nobis*, idipsum est quod versu 16. iterat verbis illis. *Ei nos cognouimus & credidimus charitatis quam habet Deus in nobis. Deus charitas est*. Nemo autem non videt, charitatem quam abs se cognitam, & in quam se credidisse ait Ioannes, aliam non esse quàm Christum, quem cognouerit familiarissimè, & ut ipsemet cap. 1. loquitur contractauerat, & sibi apparuisse professus erat. Nec in aliam charitatem crediderat quàm in Christum Dominum, ex cuius tanta in nos beneuolentia, quantum fuso pro nobis sanguine prodidit, conatur Ioannes toto eo capite, infigere charitatem in proximum. Est ergo mihi quàm verisimilimum, Ioannem locis prædictis, cum ait, Deum esse charitatem, vel dilectionem, & charitatem Dei in nobis apparuisse, de Christo agere, cumque charitatem denominare.

166 Planè id censuisse videtur Epiphanius in Anchorato, cuius in hanc rem illustrissimum locum, non censeo omitendum. Retulerat blasphemiam illorum, qui Christum filium duntaxat adoptiuum censebant esse, eo quod de eo scriptum sit, *ecce puer meus electus, quem elegi*. (Apud Epiphanius ex interprete, male legitur *filium meum dilectum*;) estque reuera sensus loci illius prout habetur in vulgata editione. In Canticis item, Christus vocatur *electus*. Blasphemiam ei loco inædificatam, refellit S. Epiphanius, & cuiusmodi sit Christi electio, sic declarat. [Manifestum est vnde sit vox *electus*, & vnde *electio*: quoniam multa millia in terra erant, & Maria sola gratiam inuenit, & in ipsa elegit sanctam carnem. Et propterea est illa in qua ipsi benè complacitum est; dicit: *subiecit populum nobis, & gentes sub pedes nostros, pulcherrimum Iacob quam dilexit*. Hoc dicit autem Apostolus, *ipsum filium dilectionis*, qui liberauit nos (inquit) ex potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filij dilectionis sue. Et stolidi illi hæc non intelligentes, locutionem, iuxta profectum dilectionis Dei, esse filium dicunt: Et non sciunt indocti illi, comparationem sermonis. In alio enim loco dicit Apostolus, *Deus dilexit nos in Christo*. Verè enim filius dilectus est vnigenitus; quoniam dilectio Pater, dilectio filius. Nam dilectio ex dilectione, est filius. Igitur filius est dilectionis propter nos, & propter seipsum quia in illo dilexit nos, & filium suum vnigenitum tradidit pro nobis.]



167 Cum ergo Christum vocet dilectio-  
nem Patris, manifeste denotat, se ita accepit  
se Ioannem citato capite. Hæres quoque  
quæ est Marcionitarum, in fine, ait Deum  
Patrem verè charitatem, genuisse filium cha-  
ritatem. Similiter Gregorius Nazianzenus  
orat. 6. in fine, illud, *Deus charitas est*, de Chri-  
sto dictum accipit. S. item Bernardus ser. 1.  
de Assumpt. videtur potest ad illud Ioannis di-  
ctum alluisse cum Christum appellavit,  
ipsam *Dei charitatem*. Vide etiam an non eod-  
em spectarit S. Ambrosius lib. de Isaac c. 8.  
ait enim. [Signaculum Christus in fronte  
est, signaculum in corde. In fronte ut sem-  
per constitemur; in corde ut semper diliga-  
mus; signaculum in brachio, ut semper ope-  
remur. Luceat ergo imago eius in confes-  
sione nostra, luceat in lectione, luceat in  
operibus & factis: ut si fieri potest, tota eius  
species exprimitur in nobis. Ipse sit caput  
nostrum, quia caput viri Christus. Ipse oculus  
noster, ut per illum videamus Patrem. Ipse  
vox nostra, per quam loquamur ad Patrem.  
Ipse quoque est signaculum nostrum, quod  
est perfectionis & charitatis insigne, quia  
diligens Pater signavit filium, sicut legimus;  
quem Pater signavit Deus. Charitas itaque  
nostra, Christus. Bona charitas, quando  
obtulit morti se pro delictis: Bona charitas,  
quæ peccatum remisit.]

Aperit denique est à me Origenes, prolo-  
go in Cant. cum proponens aliqua obiter ex  
Ioannis Epistola de nomine *charitatis* deli-  
bere, ait. *Deus charitas est*. In hoc ostendit,  
& ipsum Deum charitatem esse. Et iterum  
ait cum qui ex Deo est charitatem esse. Quis  
autem ex Deo est, nisi ille qui dicit, *Ego ex  
Deo exiui, & veni in hunc mundum*. Quod si  
Deus Pater charitas est, & filius charitas est,  
charitas autem & charitas vnum est, & in  
nullo differt; consequenter ergo Pater & fi-  
lius vnum bene dicuntur. Et ideo convenien-  
ter Christus sicut sapientia & virtus, & ius-  
titia, & Verbum, & veritas; ita & charitas  
dicatur, & ideo dicit Scriptura: quia si cha-  
ritas manet in vobis, Deus in vobis manet.  
Deus autem, id est Pater & filius, qui & ve-  
niunt ad eum qui perfectus in charitate est,  
secundum Verbum Domini & Saluatoris,  
dicentis, *ego & pater veniemus ad eum, & man-  
sionem faciemus apud eum*.] Et mox. [Et quia  
Deus charitas est, & filius qui ex Deo est,  
sui simile aliquid requirit in nobis; ut in  
hunc charitatem quæ est in Christo Iesu, qui  
est charitas, velut cognata quædam per cha-  
ritatis nomen affinitate sociemur. En verè  
amorem ex Pore patre copiosissimo & locu-  
plesiissimo, ac matre pauperie natum, quo se  
deiecit Christus à Patre dilectus, ut nos de  
carne transiremus ad Verbum ait S. Hiero-  
nymus lib. 2. in Iovin. cap. 16. ubi etiam Pa-  
tris in Christum amorem tantopere extollit,  
ut dicat, ideo Patrem nos diligere quia fi-  
lium dilexit, & membra diligere sed in corpore,  
atque adeo sub capite. Quæ quomodo co-  
hæreat cum Christo nobis dato & impen-  
so, consulendus Ruis disp. 53. de volunt. Dei,  
lect. 6. & 7.]


168 Concludo cum S. Liberio Papa  
Marcellinam alloquente, apud S. Ambro-  
sium lib. 3. de Virg. initio. [Hunc Christum  
filium, dilige quia bonus est. Nemo enim bo-  
nus nisi solus Deus. Si enim non dubitatur,  
quia Deus filius. Deus autem bonus, utique  
non dubitatur, quia bonus filius Deus. Hunc  
inquam dilige. Ipse est quem Pater genuit  
ante luciferum, ut æternum; ex vtero genera-  
vit ut filium, ex corde exultavit ut Verbum.  
Ipse est in quo complacuit Pater: Ipse est  
Patris brachium: quia creator est omnium:  
Patris sapientia, quia ex Dei ore processit:  
Patris virtus, quia diuinitatis in eo corpora-  
liter habitat plenitudo. Quem pater ita di-  
ligit ut in sinu portet, ad dexteram locet, ut  
sapientiam dicat, virtutem nouerit. Si igitur  
virtus Dei Christus, non quid aliquando  
sine virtute Deus? Numquid aliquando sine  
filio Pater? Si semper utique Pater, utique  
semper & filius. Perfecti ergo Patris, perfe-  
ctus est filius. Nam qui virtuti derogat, ei  
derogat enius est virtus. Inæqualitatem non  
recipit perfecta diuinitas. Dilige igitur quem  
Pater diligit, honorifica, quem honorificat  
Pater.]

Ita sanè. Diligamus dilectum à Deo, in  
tantis præsertim tuncque illicitis nostri erga  
ipsum amoris. Merito enim Richardus Vi-  
ctorinus tametsi fortassis Gallicæ vocis affi-  
nitatem ad Latinas voces transferens, faciem  
Christi positam ut adamantem, (ut Propheta  
dixit,) interpretatur positam ut magnetem;  
ut *Aymant*, qui omnia ad seipsum traxerit.  
Sic ille lib. de gradibus charit. cap. 2. Insigni-  
ter quoque Theodoretus initio libri quinti  
contra Græcos, sermones de Christi cruce &  
passione; magneti confert. Nam iis dociles  
animos & aduersus diuinam vocationem  
qua præueniuntur non affirmatos, trahi cer-  
nimus, sicut magnete solum ferrum trahitur.  
Sed nihil hæc ad concinnissimam Saluiani  
orationem lib. 4. de providentia, Christum  
patientem cum magnete conferentem, verbis  
illis. [Si debitum mortis non soluimus,  
(quod facere martyres dixerat,) vel amore  
soluamus. Nam ipse Saluator, ideo ut ait  
Apostolus, moriendo pro nobis commendare  
voluit omnibus charitatem suam, ut nos  
ad reddendam pietatem tanta vicissitudine  
pietatis suæ traheret. Sicut illas naturæ ad-  
mirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propius  
admota, durissimum licet chalybem, affectu  
quasi aspirante suspendunt. Ita etiam ille, id  
est summa & clarissima regnorum cælestium  
gemma, hoc scilicet voluit, ut dum se licet  
durissimis nobis descendens de cælo propius  
adiungeret, affectu suo nos quasi amoris sui  
manibus admoueret: ut agnoscentes utique  
bona sua ac beneficia; intelligeremus quid  
nos pro Domino tam bono facere conveni-  
ret, cum ille pro malis seruis tanta fecisset;  
& completeretur hoc quod Apostolus dicit, ut  
mortificemur charitate illius tota die; &  
neque tribulatio, neque angustia, neque per-  
secutio, neque fames, neque nuditas, neque  
gladius.]



gladius, posset nos separare à charitate Christi, quæ est in Christo Iesu Domino Nostro.]

Ad huius in nobis amoris ingenerationem, pertinere nomen dilecti Christo tributum, quia à Patre amatus in nos refundit amorem, sic tradit autor sermonis de Christi Bapt. apud Cyprianum num. 4. [Vsq. ad mortem, Christum duxit dilectio & resurgens à mortuis charos habet quibus tantæ charitatis affectum ostendit. Duo grata vocabula filius & dilectus ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur: ut communio nominum nos associet collegio munerum, & tantæ dulcedinis nomina, nostrum emolliant animum, accendantque deuotionis affectum.]



## CAPVT V.

*Christus Dei seruus.*

**S**I filius, iam non est seruus, ut ad Galat. 4. tradit Apostolus, quomodo Christus naturalis Dei filius, seruus dicitur? Videbor ite Adriano Papæ in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, & Synodo Fræcofordiensi in Epistola ad eosdem Episcopos, refragari. Acriter enim damnant Elipandum, eique adherentes Hispanos, qui Christum seruum Dei statuebant: id quod æquè ego in capitis titulo præfero. At hoc in magnum Christi dedecus cedere; inculcatur in prædictis epistolis, vsque aded ut concludat Pontifex, *Nullis loquam linguam qua non confundatur Christus latrare seruum, in frustra esse prædicandam, & per mille partes minutius deterrucandam.* Ex ea colluie, Felix Vrgelitanus Christum vocans *seruum conditionalem*, id est vi suæ conditionis & procreationis, latè reiciit à Paulino Aquilensi lib. 6. contra Felicem. Sed prædictæ præsertim Adriani Epistolæ innixi nonnulli, inter quos Vasquez 3. par. d. 80. à cap. 3. contendunt de fide esse, Christum nulla planè ratione, ac ne cum determinatione quidem humanæ naturæ, dici posse seruum. Eodem planè modo, quo ne cum ea quidem determinatione, dici potest filius adoptiuus. In prædicta namque epistola, & in tota Synodo Francofordiensi, esse seruum, & esse adoptiuum, recurrunt. Vasquem sequitur Becanus tract. de Incar. cap. 16. q. 2. autoritati ex Adriano & Synodo prædicta, iungunt aduersarij alia quædam Patrum loca, quibus Christus negatur fuisse seruus. Adant quoque rationem ex eo ductam, quod seruitus cadat in personam, non autem in naturam. At personam Christi repugnat non esse ingenuam, cum sit diuina. Item quia inter Christum & Deum fuit communicatio, quæ non est inter seruum & Dominum. Repugnare itaque videtur, Christum, quippe Dei filium, esse Dei seruum.

*Christum in humanitate esse verè Dei seruum, probatur ex Scripturis.*

170 Nihilominus rectè titulus capitis præfert, Christum Dei seruum, vtique in humana natura. Nam seruitutem Dei quam Ariana perfidia inuenit, nemo Catholicus sustineat audire; molliendaque est loquendi ratio quorundam aliquatenus ad id accedens, qua Verbum diuinum in molitione orbis, atque aded ante Incarnationem, *ministram Patris* esse dixerunt. Ita Clem. Rom. lib. 5. cap. 21. aliis 29. Nouat. lib. de Trinit. c. 31. & Autor libri primi de Incarn. apud Augustinum. Quamuis enim ea locutio apud hos autores, cada t vt è in ipsum Verbum, nec quod Pamelius ad caput citatur. Non tamen existimauit, possit ad Christum prore hominem detorqueri; tamen sensus dumtaxat est, Patrem omnia fecisse per filium. Quo eodem modo alij Patres apud Turrianum in defensione lib. 6. Constit. cap. 11. Spiritum sanctam, qui humanitati iunctus non est, vocant Dei ministram in sanctificatione creaturarum. Itaque facillat blasphemia Ariana, Verbum statuens Dei seruum; in quam fusiùs conclamant S. Athan. orat. 3. contra Arianos, S. Hilarius lib. 11. de Trinit. & Gregor. Nyssenus lib. de dicto Apostoli; *non & ipse filius subiicitur.* Fuisse tamen peculiariter hunc errorem Eunomij, & in hoc Eunomium superasse Arium improbitate, docet Ild. Pelus. lib. 1. epist. 24. Exagitatque latè hac ex causa Eunomium. Greg. Nyssenus oratione contra eum 9. (verius 10.) Sed seruitus quam respectu Dei Christo tribuimus, cadit in eum ratione folius humanæ nature. Hæc seruitus, & autoritate, & ratione facillè euinci potest.

Autoritas in primis suppetit ipsius Scripturæ, quæ Christum infinites *seruum* vocat. De Christo enim sunt vulgata illa loca Isaïæ 42. *Eccce seruus meus suscipiam eum.* Qui locus Matth. 12. de Christo exponitur. De eodem Zach. 3. dicitur, *adducam seruum meum Orientem, & Ezech. 34. Suscitabo super eas pastorem vnum, seruum meum David.* Sunt alia huiusmodi in prophetis & psalmis de Christi seruitute loca expressissima, quæ velle ad metaphoras aut sensus allegorico trahere, violentum fuerit. Dicere autem ita haberi in veteri testamento ratione status seruitutis tunc vigentis, non satisfact. Neque enim Prophetæ Spiritu sancto agente locuti, quamuis ipsi sub Mosaicæ legis iugo seruitutem seruarent, Christo tribuissent seruitutem respectu Dei, eamque Christus per eos professus toties & tam distinctè fuisset, nisi verè de Christo affirmari potuisset. Quid quod in nouo item testamento, perspicue Christus appellatur seruus? Sic enim 1. Corinth. 3. *omnia vestra sunt,* (ait Apostolus) *toti autem Christi, Christus autem Dei.* En Christus Deo subiicitur, eo modo quo nos Christo. At nos sumus serui Christi: Ergo & Christus, est Dei



Dei seruus. Sed discretè & in actu signato. Phil. 2. Christus dicitur accepisse formam serui. Ea quippe serui forma, de vera & propria seruitute accipi debet. Contra ponitur enim forma Dei, quam perspicuum est debere proprie lumen. Sicut ergo quod Christus dicitur esse in forma Dei, est Christum esse proprie Deum: ita quod Christus dicitur habere formam serui, ac Christum esse verè ac proprie seruum; Nimirum in humana natura, ratione cuius verbum ibidem dicitur exinanitum, suscipiendo formam serui; hoc est demittendo se ad naturam nostram, cui essentialè est Dei seruum esse, & pleno iure subiectam. Eodem spectant scripturæ quibus Christus dicitur puer. Nam in scripturis, *puerum* idem sonare quod *seruum*, latè tradit D. Augustinus l. locutionum de Genesi *sub finem*: vt proinde nesciam quorsum Genebrardus in Plal. 68. v. 22. admittens Christum esse Dei seruum; addat, rectius tamen vocari puerum. Quomodò rectius, si idem seruus qui puer?

171. Addenauit in hanc rem pleraque alia scripturarum loca, pugnant pro Christi hominis ad Deum seruitute; S. Ambrosius Epist. ad Irenæum, contra quendam Apollinaristam, quem ait audire non potuisse, quod Dominus noster Iesus pro nobis seruitutem suscepit, in istius corporis. Dixerat enim Sanctus Ambrosius ex Christi verba Matth. 11. *Confiteor tibi pater Domine, idcirco prolata esse, vt intelligamus Patrem filij esse, & dominum creaturæ: hoc est Christum qua Verbum est, habere Deum pro Patre: vt creaturam autem, habere eum pro Domino, & esse seruum eius. Nam & Psalmo 108. Christus Deum vocat Dominum suum, cum ait, adiua me Domine Deus meus.* Hoc cum ille hæreticus, simulato pro eronum more Christi honore, negaret; & seruitutem Christo indecoram, nullaque ratione rei tribuendam contenderet; obruit eum confens scripturarum aciebus S. Ambrosius demonstrans mirum non esse, quod seruitutem Christi hominis negaret Apollinarista, qui vitam Dei & hominis substantiam esse crederet. Nam si supposuisset naturam in Christo distinctionem, affirmat S. Ambrosius, hæreticum illum non fuisse negaturum seruitutem Christi in natura humana. Multa idem scripturarum loca in hanc ipsam rem congerit idem S. Ambrosius, explicans titulum psalmi 37. qui ita habet *In finem seruo Domini, psalmus David.* Quem titulum arbitratur ferre, psalmum esse de Christo Dei seruo in humanitate assumpta. Et post multa de Christi propter nos egestate ac seruitute latè disputata, concludit. [Aduerte mysterium. Ex vtero Virginis, idem & seruus exiuit & Dominus. Seruus ad operandum, Dominus ad imperandum, vt regnum Deo in hominum mentibus radicaret. Virique vnus, non alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem qui ante secula ex Patre, ipse postea carnem suscepit ex Virgine. Idcirco ergo & seruus vocatur, & Dominus. Propter nos seruus, Sed in vnitæ diuinæ substantiæ Deus ex Deo, Princeps ex principe, æqualis ex æquali. Neque enim degenerem genuit, in quo se ipse complacere memorauit. *Magnum, ( inquit, ) tibi est vo-*

*cari puerum meum, vt statuas tribus Iacob.* Seruat vbiq; sue vocabula dignitatis. Magnus Deus, & magnus puer; Nec in carne, magnitudinis suæ nomen amittit, cuius magnitudinis nullus est finis. Meritoque securus, cum in forma Dei esset (vt Apostolus dicit) non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo sed semetipsum exinanivit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuenus vt homo, humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Hic est ergo æqualis, quasi Dei filius, hic serui formam in carne suscepit, hic mortem gustauit: Cuius magnitudo non habet finem; quia finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti: vt in ipsum omnes credamus, hunc intimo adoremus affectu. Bonæ seruitus, quæ omnes liberos fecit.

#### Suffragium Sanctorum Patrum.

172. Iuuat hanc ipsam veritatem de Christi seruitute, selectis aliquibus Patrum testimoniis numine. Origen. optimè tom. 1. in Ioannem ad illud *In principio erat Verbum.* [Quisquis (inquit) intellexerit, quoniam pater Iesus factus sit Discipulis non tanquam recumbens, sed tanquam ministrans, cum filius Dei existens, pro liberandis iis qui peccato seruebant formam serui sumperit: non ignorabit quomodò ad ipsum Pater dicat, *Seruus meus es tu.* Ac mox, *magnum tibi est, vt voceris seruus.* Nam nobis audendum est dicere, maiorem diuiniorè inque, atque verè secundum imaginem Patris, Christi bonitatem apperere, quando humilem præbuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis; quam si rapinam arbitratus fuisset, esse se æqualem Deo; nec voluisset pro mundi salute fieri seruus. Ob eam causam volens nos docere, magnum donum se à Patre accepisse, quod sic seruiuerit, inquit, *Et Deus meus erit mihi fertilis meo. Et dixit mihi: Magnum tibi est, vt voceris seruus meus.* Nam seruus non factus, non excitasset Iacob, neque dispersionem Israël conuertisset. Sed neque futurus erat nisi lucem gentium, vt vsque ad extremum terræ, salus esset.]

Disertissime Sanctus Augustinus Epist. 378. in disceptatione cum Pascenio Arriano. [Subjectionem filij Patri debitam, ex carnis infirmitate susceptam, etiam nos quia iustum est verissime confitemur, in qua eum infirmitate non solum subditum, sed & seruum euidentissime confitemur, ipso dicente in prophetia ad Patrem, *O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancilla tua;* id est Maria. Patet ergo in quo sit æqualis Patri Filius. In quo sit non solum subditus aut inferior, sed etiam humillimus seruus. Ipse, inquam ostendit, in quo sit humilis, in quo sit æqualis; vnde omnipotens, vnde infirmus; vnde abiectus, vnde speciosus vnde diues, vnde egestati subiectus. Ex Hieronimo locum illustrem infra dabo: & bene idem tradit in psalmum octuagesimum octauum ad illud *intraui David seruo meo.*

S. Cyrillus lib. 3. pentab. cap. 1. [Ille qui erat



erat in forma & æqualitate generantis, factus est seruus, mensuram eorum qui sub iugo seruitutis erant, dispensatoria ratione non dignatus; quia de causa metuis, eum Pontificem propter humanitatem appellare? Et lib. 12. thesau. cap. 1 §. seruus factus est, quia verè homo.]

173 S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. [Formam ergo serui accepit. Neque enim aliud fuit illa summi Dei exinanitio, nisi formæ seruilis, id est humanæ naturæ susceptio. Vtraque igitur est in Christo forma, quia vtraque & vera & plena est in Christo substantia. Ideo Sanctus Euangelista, plenum eum gratiæ & veritatis prædicat: quia in diuina natura in qua Deus veritas est, plenus est; & in humana natura in qua homo verus gratia factus est. In ista plenitudine Deus est, in forma Dei, æqualis Deo. In ista plenitudine seruus, in forma serui, quia in similitudinem hominum factus, habitus est inuentus ut homo. Exinaniens ergo semetipsum, formam serui accepit, ut fieret seruus: sed formæ Dei plenitudinem non amisit, in qua semper est æternus atque incommutabilis Dominus: factus secundum formam serui homo verus, eiusdem naturæ cuius est ancilla mater; & manens in forma Dei Deus verus, eiusdem naturæ cuius est etiam Dominus Pater.] Idem habet de 10. obiectionibus Arianor. Idemque bis iterat sub finem illius responsionis terciæ.

174 S. Gregorius manifestè eandem Christi seruitutem agnoscit 2. Moral. cap. 22. ad illud *nunquid considerasti seruum meum Iob*. Hæc enim verba accommodans Christo, & redeuntem à circuitu orbis Satanam accipiens de mortalium omnium qui illuc vixerant expugnatione per illum, subdit S. Gregorius, præsignificatum esse à Deo apud Iobum, venturum esse Christum qui plenè Satanæ obstitere; ipsum inquam, à Iobo expressum Christum. Itaque ait dictum Satanam redire: [Nunquid considerasti seruum meum Iob? quod non sit ei similis in terra? Quod Iob interpretatur dolens, paulò antè iam diximus. Dolens verò ipse veraciter per figuram dicitur; qui portare dolores nostros, Propheta attestante, perhibetur. Cui in terra similis non est, quia omnis homo tantummodò homo est; ipse autem Deus & homo. In terra ei similis non est, quia etsi adoptiuus quisque filius ad percipiendam diuinitatem. Proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esset, accipit. Qui benè etiam seruus dictus est, quia formam serui suscipere dignatus est. Nec maiestati iniuriam intulit assumpta humilitas carnis: quia & ut seruanda suscipere, nec tamen habita permutaret, nec diuina humanitate minuit, nec humana diuinitate consumpsit: ut serui forma tegeret hoc quod incircumscriptè omnia ex diuinitate penetraret. Dei autem ad Satan per figuram dicere, est, *nunquid considerasti seruum meum Iob?* vñ genitum filium, contra eum, in forma serui admirabilem demonstrare. Eo enim, ipso quo illum tantæ virtutis in carne innotuit: quasi superbienti aduersario, quod dolens consideraret, indicauit.]

Eucher. homil. 2. de Natiuit. Dom. init. agens de die natali Christi; ait; [hic est in quo factus est Dominus seruus, ut persona serui transiret in Dominum.]

Nazianzenus orat. 1. sub finem, in congregate titulorum Christi, non omisit titulum *serui Dei* secundum humanitatem: ubi Elias Cretensis, hanc Christi appellationem confirmat ex Apostolo Philipp. 2. & addit. [Nec verò hic solum, sed etiam compluribus aliis locis, Christum seruum vocari reperies.] Idem Nazianzenus, loco perillustri idem tradit orat. § 6. num. 8. verbis illis. [Quis igitur infans ibi, quin Sapientia, secundum inferiorem quidem generationem creata, secundum autem primam illam magis in comprehensibilem genita, dicatur? Huic velut confectarium est, quod etiam *seruum* dicitur, & multis benè seruiens; illudque item quod magnè atque amplum ipsi sit filium Dei vocari. Haud dubiè quippe carni, & generationi, & affectionibus nostris, libertatis nostræ causa seruiuit, ac denique omnibus illis, per quæ eos, qui à peccato detinebantur, in salutem auerit.] Interpretes Græcam vocem *παῖς* male vertit *filium* cum debuerit vertere *seruum*, ut patet ex filo rationis Nazianzeni, & ex loco Isaïæ quem profert: in quo Græcam vocem *παῖς*, debere verti *seruum* non *filium*, S. Hieronymus in c. 1. ad Titum ex fontibus Hebraicis obseruauit.

S. Athanasius orat. 3. contra Arian. [Quatenus in confessione est cum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit, siue seruus siue filius hominis appellatur. Omnes enim istiusmodi voculæ, in ratione humanitatis benè & propriè competunt: illaque nomina non substantiam Verbi, sed hominem fuisse demonstrant.] Insigniter, & fusè admodum Christi seruitutem celebrant Guerrius serm. de Domin. in palm. Non est ergo quod tot Patribus teneriores, aut Christi studiosiores videri velimus, refugientes Christi seruitutem, quam illi abique scrupulo imminutæ quoquomodo dignitatis affererunt, suffragantibus tam multis Scripturis, & tam multis Scholasticis, aliisque recentioribus, quos inter, fusè hoc punctum versant Stunica in Annotationibus contra Eusebium ad c. 4. Aetorum & Sanctius Catanzan in Antropologia pro Stunica.

#### *Seruitus Christi respectu Dei, probatur ratione.*

175 Rationem huius veritatis, planè ineluctabilem, paucis attigit S. Ambrosius epistola illa ad Irenæum. [Seruus (inquit) legitur factus Dei filius, quia legitur factus ex Virgine, & creatus in carne. Omnis enim creatura serui, dicente Propheta, *quoniam omnia seruimus tibi*. Vnde & Deus Pater ait. *Inueni David seruum meum, oleo Sancto meo unxi eum*.] Tametsi ratio his D. Ambrosij verbis comprehensa est satis euident, tamen ut sit prorsus manifesta, & aduersarios inexpedibiliter stringat, sic concipi potest, & ad syllogisticam formam reduci. Ille verè seruus est, qui est sub alterius dominio. Atque Christus

Dominus



Dominus, secundum naturam humanam, est  
verè sub dominio Dei. Igitur secundum hu-  
manitatem Christus est verè Dei seruus. Ma-  
ior est plane explorata. Nihil quippe aliud est  
seruire, quam subesse alterius dominio :  
Et hæc ipsa subiectio ad dominum, illa est  
de qua Christone conueniat, lis nobis est  
cum aduersariis. Minorem verò, certum est ne-  
gari non posse. Nam Christus Dominus secun-  
dum humanam naturam est ens potentiale &  
à Deo dependens, ac proinde viribus diuini  
dominii obnoxium. Tanta quippè est exten-  
sio domini diuini, vt quicquid Deus non est,  
illi subdatur. Quare cum humana Christi na-  
tura sit quid creatum, necesse omnino est fa-  
teri, Christum secundum eam subesse diuino  
dominio, esseque Dei seruum.

Dei inquam, non solius æterni Patris, quia  
terminus huius seruitutis est Deus, & omnes  
Angelissimæ Triadis personæ deitatem termi-  
nantis. Qua item ratione superius diximus,  
terminum filiationis naturalis temporalis  
quam in Christo agnouimus, esse Deum in  
tribus diuinis personis subsistentem : ita vt eo  
modo Christus sit filius diuini Verbi. Simili-  
ter ergo Christus, est seruus diuini Verbi : at-  
que adeo Christus quatenus subsistit in natu-  
ra humana, est seruus sui ipsius quatenus in di-  
uinitate subsistit. Quod non negauit D. Da-  
masceus ; fidei enim cum negauit, Christum  
hominem esse seruum sui ipsius. Tantum quip-  
pe intendit negare, Christum esse sui ipsius ser-  
uum in sensu Nestoriano ; & ita vt is qui ser-  
uus dicitur, & Dominus eius, sit duo suppo-  
sita. Vide subdit. [ Qui dicunt ipsum seruum,  
dicunt vnum Christum in duos, quemad-  
modum Nestorius. Nos autem dominatorem  
eum diximus, & dominum omnis creature  
Christum, eundemque Deum simul & ho-  
minem. ] Vides quo sensu Damascenus, Chri-  
stum esse Verbi diuini seruum negat. Itaque  
seruus Christi secundum humanam naturam,  
fundata in diuino dominio inabdicabili supra  
quæcunque potentialia omnibus diuinæ Tri-  
adis personis competente, non videtur in du-  
bium reuocanda.

*Quæ seruitus in testimoniis supra in con-  
trarium adductis, Christo negetur*

176. Nec difficile erit enodare quæ in con-  
trarium sunt adducta initio capitis. Adrianus  
enim Pontifex, & Synodus Francofordiensis,  
cum tantopere detestantur Christi seruitutem,  
intelligunt seruitutem in sensu Nestoriano,  
qualem vt proxime diximus retulit & damna-  
uit S. Damascenus ; damnauitque etiam S. Cy-  
rillus anathematismo 6. verbis illis. [ Si quis  
Verbum quod ex Deo Patre est, Deum ac do-  
minum Christi esse dicit, & non magis illum  
eundem confiteretur esse Deum simul & homi-  
nem, anathema sit. ] Et cum Theodoretus Ne-  
storianus, saltimque S. Cyrilli aduersarius,  
huic anathematismo obiecit, pleraque scri-  
pturæ loca in quibus Christus, Dei seruus ap-  
pellatur, respondet S. Cyrillus, si quis Christum  
appellet seruum, non decere offendi propter  
voces SS. Prophetarum quibus serui nomine  
est inuocatus. Cauendam tamen esse monet,

ne Christus seruus dicatur, eo sensu quo Ne-  
storius Christum seruum, & Verbum eius Do-  
minum appellabat ; cum dicebat Verbum esse  
Deum Christi, addebatque [ Erat ipse & in-  
fans & infans Dominus. ] Quibus verbis hanc  
glossam subiecit S. Cyrillus. [ Hos illius ser-  
mões nos non solum indecorè, sed & impiè  
dictos asserimus. Nam si Deus est Christi,  
Verbum quod ex Deo Patre est, duo vtique  
erunt modis omnibus & incunctanter. Quo-  
modo autem intelligitur ipse infans, & infan-  
tis Dominus ? Non igitur dicitur suimetipsum  
Deus ac Dominus Emanuel, quandoquidem  
ipse idem simul est Deus ac homo ; eo quod  
Verbum Dei, homo factum & incarnatum est.  
Quia autem Deitas aliud quiddam est secun-  
dum suam naturam, aliud autem secundum  
naturam suam humanitas, quomodo quis vā-  
cillat ? Veruntamen vnus est Christus, ex  
duabus Deitatis & humanitatis naturis, secun-  
dum dispensationem vnitatem. ] Manifestissi-  
mum ex his verbis est, S. Cyrillum nihil minus  
cogitasse, quam de abroganda seruitutē Chri-  
sti secundum humanam naturam, salua vtrius-  
que natura vnica hypostasi : sed tantum voluisse  
negare eam seruitutem Christi ad Verbum,  
quæ hominis & Verbi duplicem personam in-  
flictebat, qualem in Christo seruitutem respec-  
tu Verbi admittebat Nestorius, & Nestoria-  
nismi instauratores Elipandus & Felix, in quos  
Adrianus & Synodus Francofordiensis cala-  
mum strinxerunt, iis epistolis quibus Christi  
adoptionem & seruitutem exciderunt.

177. Addere liceret alios modos, quibus  
Christus iure à Patribus negari potest esse ser-  
uus : vt quod non esset, nec esse posset seruus  
peccati & Demonis, è qua seruitutē turpissi-  
ma simul, & ærumnosissima, Christus huma-  
num genus eripuit. Et hanc seruitutem non  
omisit S. Damascenus cap. illo 21. cum dixit,  
Christum qui nos in libertatem vindicauit,  
non esse seruum habendum. Sicut enim Chri-  
stus non depulit eam hominis seruitutem quæ  
responder dominio diuino inabdicabili, & fun-  
datur in humana naturæ potentialitate ac de-  
pendentia à Deo ; eam verò duntaxat liberta-  
tem contulit homini quæ est libertas Chri-  
stiana & quasi ciuilis supernaturaliter : ita ipse  
seruitutem peccati nunquam seruiuit, & solus  
fuit inter mortuos liber. Eam tamen seruitutem  
quæ Deum habet pro termino, & fundatur in  
naturæ humanæ conditione, non possumus sal-  
uo iure diuini domini pleni negare Christo  
secundum humanam naturam. Alia item ser-  
uitus quæ negari Christo debet, ea est quæ ex-  
cludit imperium summum, & dominatum  
Christi in omnia, de quo postea. Vt taceam  
seruitutem ciuilem, & ingenuitatis exclusio-  
nem ; quæ non vocatur in controversiam quo-  
ad Christum. Item neganda est Christo serui-  
tus quoad eternam tractationem. Quæ ratio-  
ne filius Principis, tametsi verè Principi seruit  
& subiacet, & ab eo morte quoque plecti po-  
test si in patrem delinquat : ac tamen non ha-  
betur vt seruus, seu vt vassallus, quia est filius :  
quod sufficit vt negari possit esse seruus, nem-  
pe externa tractatione, quia *liberi sunt filij*, vt  
dicitur Matth. 17. De his seruitutibus agere in-  
terdum videntur, Adrianus & Synodus Franco-  
fordien



fordiensis, & nonnulli Patres cum Christi seruitutem inficiantur, argumentantes ex pleno Christi in omnia dominio à Patre collato, & ex libertate qua Christus nos liberauit: quibus argumentis eæ quas hic proposui seruitutes oppugnantur. Verum quod Patres illi etiam his argumentis præcipue intendunt, est exclusio seruitutis Nestorianæ, cum qua illæ aliæ seruitutes neſtuntur tanquam infelices stolones mali trunci, quibus succidendis appetitur quoque (indirectè saltem & oblique) seruitus Nestoriana. Nam si proprietas aliquid inseparabiliter affectans conuellitur, perspicuum est radicem illius proprietatis, vnâ tentari. Nihil ergo est in testimoniis quæ contra Christi seruitutem proferebantur, quod non commodè & facile expediatur.

*Ad rationes contra Christi seruitutem.*

178 Argumenta item à ratione quæ initio sunt proposita, nullo negotio dissolui possunt. Primum quod nititur essentiali diuinæ Verbi personæ immunitate à subiectione & seruitute, nullius planè est momenti. Neque enim contendimus diuinam Christi personam seruituti mancipare, quæ est Ariana blasphemia: sed profiteamur diuinam personam in humanitate subsistentem, sicut in ea verè passam & mortuam, ita & seruam. Quod est dicere, totum subiectum seruitutis æquè ac passionis & mortis, esse humanitatem, etiam si propter vnionem, denominatio à forma in humanitate recepta, refundatur in personam: quod absque vllò personæ probro ac dedecore præstatur, quia attributum non cadit in personam ratione sui, ac proptèr subsistit in natura sua; sed tantum ratione naturæ extrinsecæ, per vnionem adiunctæ Verbo. Itaque tota depressio quæ huiusmodi attributis inuehitur, sistit in natura, cuius ea prædicata sunt propria. Idque crediderim voluisse Nazianzenum, vt ex eo refert Nicetas lib. 3. thesau. cap. 38. num. 5. & Cyrillum lib. de S. Trinit. cap. 25. cum dicunt, humanitatem Christi seruam dici posse, si fiat per mentem præcisio à Verbo. Eaque ratione ait Cyrillus, Christum dixisse Patrem, Deum suum. Non labimur ergo, si ipsummet Christum secuti, habita ratione naturæ humanæ, eaque solam in Christo spectata, dicamus illum fuisse Dei seruum, & Deum esse Christi. Deum ac Dominum.

Altera ratio contra Christi seruitutem, est etiam debilior. Ex eo enim quod Christus admittatur ad diuinorum bonorum communicationem, inferebant aduersarij, Christum non esse Dei seruum. Sed est inanis collectio. Nihil enim verat, Dominum velle ad bonorum suorum communicationem admittere seruum, salvo iure dominij in eum: sicut Apostoli titulo amicitie admissi à Christo sunt ad arcanorum & conciliorum participationem. Neque tamen deserunt Apostoli Christo subesse, iis titulis quos inferius proponemus. Beati quoque admittuntur ad communicationem diuinorum bonorum. Idcirco

enim dicuntur *heredes Dei*: neque tamen quispiam subduxerit beatos diuino dominio. Igitur is quoque quorum sunt coheredes, quamuis primarius heres sit, & omnia Dei bona ipsumque Deum possideat, non desinet esse seruus Dei in natura sua humana, ea seruitute ac subiectione ad Deum, quæ in potentialitate humanitatis, & supremo Dei in omnia creata dominio fundatur.

*Christus seruus noster, quanto magis Dei?*

179 Est itaque Christus in humanitate seruus Dei. Nec id mirum videri debet, quod is seruire Deo statuatur, qui seruorum suorum præ charitate nimia qua dilexit nos, seruus est factus. Egregiè ita monuit S. Hieronymus, in fronte epistolæ ad Titum. Expendens enim titulum quo se D. Paulus insignit, nempe *serui Dei*, præfatus hanc esse nobilem seruitutem qua multos sanctos Deo seruisse demonstrat, subdit. [Nec mirum quamuis Sanctos homines, tamen Dei seruos nobiliter appellari: cum per Esaiam prophetam Pater loquatur ad Filium, *magnum tibi est vocari te puerum meum*: quod Græcè dicitur *πάτερ μου καὶ ἐγὼ πατήρ σου*. Puer autem hoc est, *παῖς*: quia potest secundum Græcos & familiam & filium significare: in Hebræo quæsumus, & inuenimus, non *filium meum* scriptum esse, sed *seruum meum, haud.* Vnde & Abdias Propheta, qui interpretatur *Seruus Domini*, ex famulatu Dei nomen accepit. Si moueat quempiam, Dominum Saluatorem qui vnuerſitatis est conditor, *Seruus Dei* dici: non mouebitur, si ipsum ad Apostolos audiet loquentem: *Qui voluerit inter vos esse maior, sit omnium seruus.* Et *filius hominis* venit, non vt ministraret sibi, sed vt ministraret. Quod ne docere tantum verbis videretur, monstrauit exemplo. Assumpto quippe linteo, accinxit se: & aqua pedum replens, discipulorum pedes lauit. Non est itaque impium credere, eum qui formam serui assumpserat, hæc fecisse quæ serui sunt: vt paternæ voluntati seruasse dicatur, cum seruis suis ipse seruiuit.]

Guericus item optimè serm. 1. de dom. in Ramis palm. initio. [Sed parum tibi videatur, quod cum esset filius, & coequalis, tanquam seruus seruauit patri, si non & seruo suo plusquam seruus seruauit. Factus quidem erat homo, vt seruiret creatori. Et quid iustius quam vt seruias illi à quo creatus es, sine quo nec esse potes? Et quid beatis aut sublimius, quam seruire illi, cui seruire regnare est? Non Seruiam; (inquit) creatori. Ego igitur Seruiam tibi, inquit creator homini. Tu recumbe, ego ministrabo, ego tibi pedes laubo. Tu quiesce, ego languores tuos feram, & infirmitates porta. O. Vere me vltimè in omni necessitate tua, non modo vt seruo tuo, sed etiam vt iumento tuo, vt peculio tuo. Si fatigatus, aut oneratus es, ego te & onus tuum feram, vt legem meam primus impleam. Alter, inquit, alterius onera portat, & sic adimplebitis legem Christi. Si elusis, aut litis, & ad manum forte nihil melius habes nec



nec alter tibi vitulus æque saginatus praestitit est; ecce ego paratus immolari, vt carnes meas comedas, & sanguinem bibas. Nec verearis ex morte serui damna seruitutis pati, etiam comestus & bibitus, manebis tibi integer, & viuus, seruusque vt prius. Si in captiuitatem ductus, aut venundatus es, ecce vende me, teque pretio mei, vel me ipso pretio redime. Vile quidem mancipium videor, sed & si noctu & clanculo distrahar quasi res furctua; & si ab auarissimis Iudæorum Sacerdotibus emar, attamen saltem triginta argenteos appreciari potero. Hoc pretio mei, poterit emi sepultura peregrinorum, mei pretio vita sepulcorum. Si infirmari & mori times, ego moriar pro te, vt de sanguine meo tibi conficiat medicamenta vitæ. Euge serue bone & fidelis; seruisti reuera, seruisti in omni fide & veritate; seruisti in omni patientia & longanimitate. Non repide, qui exultasti, vt gigas ad currentem viam obedientiæ; non fide, qui etiam animam post tot & tantos labores semper impendisti, non murmurose qui innocens flagellatus, nec os aperuisti.]

Vsu Doctrina.

180 [O detestabilem (exclamat idem Guernicus serm. 1. de Dom. in Ramis Palm.) superbiam hominis, seruire contemnitis, quæ alio exemplo non poterat humiliari, nisi seruitute, & tali seruitute Domini sui. Et vtinam vel sic possit; vtinam vel nunc habeat & referat gratiam, tantæ humilitati ac bonitati.]

Præclatum Hilarij Diaconi monitum, dignum est quod iis subtexatur. Expendit illud Apostoli Hebr. 1. cui dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, subuersionemque humanitatis ad Deum, & Dei cum humanitate copulationem, in verbis illis obseruat, tum subdit. Hæc verò ad salutis nostræ exempla referamus. Si enim ipse cum Deus esset & docuimus, vt Dei filius, non respuit formam serui suscipere; multo amplius nos oportet cuncta perficere quæ iussa sunt nobis, & humilia quæque tolerare. Si inquam ille naturæ filius, seruire Deo, vt est apud Isaiam, magnum & gloriosum ducit, ne indecoram censamus homini obedientiam quæ Deum decuit, vt scitè Eucherius dixit. Gloriosissimum dicamus, Dei seruus audire. Nam & immensa gloria est hæc seruus, ait D. Hieronymus in psal. 133. sic glorians illud omnes serui Domini, postquam distinxit seruos Domini à seruis peccati. Putamus parum esse quod dicitur; Ego seruus Domini sum. Summa virtus est hoc mereri. Quomodo? Quasi dignitatem vendicat, qui dicit: Ego seruus Imperatoris sum, & nemo audeat accedere ad seruum Domini. Vnde & Apostolus de seruitute Domini gloriatur, & scribit in principio Epistolarum suarum: Paulus seruus Christi. Et de Moysè dicitur: Et non sicut Moyses famulus meus, cui locutus sum facie ad faciem. Et iuxta S. Basilium ad illud psalmi 33. In Domino laudabitur anima mea, quamuis alij alia capient argumenta gloriæ & laudis. Tamen in hoc gloriatur qui gloriatur, quod intelligit & cognoscit Dominum Deum suum. Vides quomodo. Apostolus cooperatus Euan-

gelij laudet? Qui est, (inquit,) conferunt & minister vester in Domino. Si quis autem ob corporis elegantiam, decusque, aut ob acceptam à parentibus claritatem generis laudatur, non in Domino laudatur anima eius. Sed quisquis talis est, in magna constituitur vanitate. Non enim artes illæ quæ mediæ sunt & indifferentis naturæ, veram habent laudem. Gubernatores aut medici; aut oratores, aut architecti ciuitates ædificantes, vel pyramides seu labyrinthos; quique sumptu ingenti substructiones ædificiorum apparent, ædumve superbam molem. Nam qui ob eiusmodi laudantur, non in Domino suam habent animam. Satis est nobis ad omnem dignitatem & nostri existimationem, talis Domini seruus censer. Etenim qui Regi culpam subseruit, nõne tandem is sibi mirè placebit, quod in ordinem ascitus sit tanti istius famulij? Qui verò in seruorum Dei dignationem venerit, aliunde laudem exquirere? ac si ad omnis excellentiam gloriæ & nobilitatis, hæc appellatio non satis esset. Bene ac plenè de serui Dei dignitate, disserit S. Chrysostomus homil. 8. in ad Ephes. (Obiter sed bene Prosper in calce psalmi 42. Ambrosius in Exortatione ad castitatem initio, cum de S. Vitale, & Philo l. de Cherubin, cuius his paucis verbis id ob signo. [Nihil purificatam mentem maiori afficit letitia, quam quod Dominum habet, quem agnoscit Regem totum omnium. Nam seruire Deo maxima est gloria, non modo libertate maior, sed & diuitiis, & principatu, & omnibus rebus quas mortales mirantur, pretiosior.]

181 Merito itaque Clemens Alexandrinus sub finem præcept. tractans domini quarrelas expressas Isaiæ 1. concludit. [Volo vos rogare, an non vobis videatur absurdum, vos ipsos qui estis Dei figmentum, & ab ipso animam accepistis, & omnino Dei estis, alij seruire Domino, & præterea colere quidem pro Rege Tyrannum, pro boho autem malum? Quis enim, (6 per veritatem) sanæ mentis, bonum relinquens versatur cum vitio? Quis est autem qui Deum fugiens viuunt vnà cum Demoniis? Quis autem cum possit esse Dei filius, delectatur seruitute? Aut quis cum cæli possit esse ciuis, Erebum persequitur, cum ei liceat colere paradysum, & eccliam circum circa obire, vitalisque est puri esse fontis particeps. Ne ergo, ne euadamus mancipia, neque potius efficiamur similes.] Atque adeo affectemus, & studiosè queramus, esse serui Dei: sed & nos Deus ad eam prærogatiuam admittat, cauemus esse homines suilli, [ne erubescat Deus (verba sunt S. Chrysostomi hom. 24. in ad Hebr.) vocari noster Deus. Pudor est enim ipsi; quando vocatur malorum Deus, & ipsorum eorum pudet: sicut glorificatur, quando bonorum & proborum, & virtutem colentium. Si enim nos reculamur vocari Domini malorum nostrorum seruorum, & eos dimittimus; Et si quis accedens dixerit, hic vel ille, mala facit innumera; numquid est seruus tuus? Statim dicimus Nequaquam; probum propulantes: Est enim seruo ad Dominum habitudo, & relatio: ignominia ab illo ad hunc transit. Sed illi (veteres Patriarchæ) erant adeo præclari, & tanta plenè fiducia, vt non solum non erubesceret ex illis



vocari, sed etiam de se diceret; *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Tales admittit Deus, lubens in seruos; ceterorum, pudet illum; nec eos agnoscit pro seruis suis, quantumcunque tales habeantur, & audiant *serui Dei.*

Non itaque quotquot eo titulo gloriantur, sunt reuera quod profitentur, vt S. Hilarius in psal. 118. ad illud *seruus tuus sum ego* recte annotauit, sic scribens. [Nemo nostrum est, qui non vel in orationis sue prece, vel in communium sermonum consuetudine, seruum se esse Dei fateatur. Et quid magnum Prophetam fecit, seruum se profitendo, quod nullus ausus sit denegare? Sed professio ceterorum, fallax est: quia cum habeat conscientia necessitatem, non habet tamen confessionis veritatem. Proprium hoc Prophetæ est, vt se seruum Dei profiteatur, in omni vitæ genere famulatu conditiopis sue fungens: siue ambulans, siue vigilans, siue dormiens; in cibo etiam atque ieiuniis, Deo aut esuriat, aut saturus sit; & nullo in tempore a seruitutis sue officiis absistat. Hic liberè dicit: *Seruus tuus, sum ego.* At verò qui stupris dormit, latrociniis vigilat, quæstibus peregrinatur, luxui requiescit, si dicat seruus tuus sum, profitetur quidem quod est, sed quod non est, agit.]



## CAPVT VI.

*Christus, noua Dei creatura.*

**V**ide titulum Christo tribuit, & latè explicat Rupertus toto l. 1. de operibus Spiritus sancti. An rectè & quotsum, inuestigandum est sed illud inprimis exequiendum, an Christus in bono sensu, *creatura* dici possit. Non paucis enim, huiusmodi locutio, vel erroris, vel periculi plena est visa. Sed distinctio adhibita, rem hanc facile componet.

*Christum, quatenus creatura.*

Si igitur Christus sumatur quæ Verbum in diuinitate subsistens, sic extra controuersiam est, Christum non esse creaturam. Idque vnum volunt plerique Patres in disputationibus contra Arrianos, cum negant Christum esse creaturam. Diligenter id versat S. Ambrosius epist. 26. & l. 1. de fide c. 6. & 7. & eiusdem operis l. 3. c. 4. Sed toties ibidem ingeminat Christum in natura humana esse creatum, & creaturam Dei, vt planè ex oculatis esse oporteat qui illam enunciationem, *Christus est creatura*, vocant in suspensionem; si *Christus* in ea enunciatione non sumatur quæ Verbum in Deitate sola subsistens, sed quatenus homo. Verè enim sub ea ratione, est creatura. Non quod persona diuina quæ in humanitate subsistit, sit creatura, sed quod habens eam humanitatem, contineat aliquid quod est verè creatura. Et quia illud *habens*, & *humanitas quæ habetur*, in concreto seu personaliter sunt vnum; iure illud vnum ratione vnius extremi ad illud concurrentis, dicitur creatum. Etque ad ob similem causam, di-

cutur passum, & mortuum. Quæ est D. Hieronymi ratio: in c. 2. ad Ephes. ad illud *ipsius enim factura sumus.* Sic enim de Christo scribit, [Nos liberè proclamamus, non esse periculum, eum dicere creaturam, quem verum & hominem, & crucifixum, & maledictionem, tota spei nostræ fiducia confitemur.]

190 Similiter Gregorius Nyssenus l. de fide ad simplicium, [Quemadmodum cum Verbum sit, propter nos caro factus est; & Deus cum sit, homo factus est: ita creator cum sit, propter nos Creatura factus est, quippe cum caro res creata sit. Quemadmodum igitur per Prophetam dixit, *Sic dicit Dominus, qui formauit me ex ventre seruum suum*; ita etiam dixit illud per Salomonem, *Dominus creauit me principium viarum suarum ad opera sua.* Omnis enim creatura fertur, vt inquit Apollolus. Proinde & is, qui in ventre Virginis formatus est, secundum verbum Prophetæ, seruus est; non Dominus: hoc est, is qui secundum carnem homo est: in quo Deus manifestatus est; & is qui illic creatus est, in principium viarum eius, non Deus est, sed homo: in quo nobis Deus manifestus est, vt corrupta ac labefacta via salutis humana, iterum renouaretur. Itaque quoniam res duas de Christo statuimus & sentimus, vnum, quidam diuinum, alterum verò humanum; in natura quidem diuinum, in admittitione ac dispensatione id quod secundum hominem est: consequenter sempiternum. Deitatis attestatur, creatum verò naturæ humane assignamus. Quemadmodum enim secundum Prophetam, in ventre formatus est seruus, ita etiam secundum Salomonem, per hanc seruilem creaturam, in carne manifestatus est: Fulgentius idem latè & disertè habet l. de decretis obiectionibus Arrianorum ad 3. Vix tamē necesse est monere; cauendum esse ne cum Christus spectatur vt subsistens in humanitate, prædictum illud *creatura*, cadat per se & rectè in suppositum; non iam diuinum qui creatus sensus Arrianorum iam explosus, sed humanum & a diuino diuersum; hinc enim fuit sensus Nestorianorum, qui subsistens in humanitate vocabant *creaturam*, in geminarent in Christo suppositum. Proptereaque Capreolus Episcopus Carthag. Epistola contra Nestorianos *sub finem*; cum dixisset verba illa *Christi tecum ascendendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, geminam Christi naturam designat; & primum quidem membrum illius sententia; pertinere ad Vnigenitum filium; secundum verò ad hominem factum subdit quasi corrigens hoc postremum Verbum; [Sed in Christo 1 & 1 nec homo creatus potest dici, nec filius, nec vnigenitus Deus, negari homo potest natus.] Nimirum in sensu Nestoriano, negat polleat Christum hominem factum, siue creatum; hoc est ita vt Christus prius tempore sit creatus, postea verò per solum affectum copulatus sit Deo. Capreolus merito negat dici posse, quia cum aduersus Nestorianos scriberet, videbat eum esse Nestorianorum sensum peruersum atque blasphemum. Absolutè tamen Christum dici posse factum; siue creatum; ratione humanitatis non est inficiatus Capreolus. Imo immèdiatè ante id admittit, vt retuli. Alterutro autem præ-



postorum modorum, hoc est in sensu Arrianis aut Nestorianis contrario, accipienda sunt quae Vald. t. l. i. doctor, cap. 4. r. à num. 6. ex variis Patribus contra Vicleffum profert, vt probet, Christum non esse creaturam: admittens tamen alios Patres Christum vocasse creaturam, in sensu à nobis proposito, cui & ipse ibidem subscribit n. 8.

*Noua creatura titulus Christo ad scriptum, quo sensu.*

191 Sic constituta veritate & puritate enunciationis illius, *Christus est creatura* distinguendum sequitur, an & quo sensu, Christus dictus sit noua creatura. Non probo nouam interpretationem à Ludouico la Cerda primum culam cap. 105. Aduersar. Sacrorum numer. 4. existimantem, in Scriptura creaturae nomen, pro Principe ac Rege usurpari. Quod propterea ex i. Petri 2. vbi Apostolus monet fideles, vt essent *subiecti omni humane creaturae propter Deum*. Et eam humanam creaturam cui subiacendi essent exponens, addit *sive Regi quasi praesentanti, sive Ducibus tanquam ab eo missis*. Vbi Beda, *omni humane creaturae*, dicit, *omni dignitati hominum omni personae, omni principati, cui nos diuina dispositio subdi voluerit*. Hinc ergo colligit praedictus Autor, creaturam sonare potestatem. Rationem tangit Augustinus lib. 1. de Magnitudine Rom. Eccles. c. 1. quia in Graeco est *κτῆσις* creatio. Vnde innuitur ea voce, principes temporales esse ex humana creatione, ea transfusa in eos potestate per consensum populorum. Ita hi autores, & Cornelius ad haecum Petri propositum. Quia ratione Christus dici posset *noua creatura*, quia est noua potestas, & nouus Rex vniuersi nouo modo, nec ab hominibus, sed à Deo. Vocatur quidem à Michea cap. 4. *potestas prima* quo loco describens Christi aduentum in Bethleem, & demitatus quo nostri causa demittenda esset tanta maiestas, ait; *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion es, quae ad te venit potestas prima*: id est Christus Rex aeternus, interprete Palacio. Sed quae erat ratione Verbi diuini potestas prima, facta est ratione humanitatis assumptae in qua imperat & regnat, potestas temporalis & noua. Haec, si creatura notio quam recte vera esset dicerentur sanè non improbabiler. Sed acumen illud interpretationis nouae, nec Apostolorum Principi cum ita loqueretur, nec Beda: expositori, aut vlli alij antiquorum in mentem venisse, adducor vt credam, qui videam perinde fuisse dicere *subiecti esse omni humane creaturae*, ac si dictum fuisset, *subiecti omni homini*, nempe cui subiacet debeat, sive Regi sive Duci. Illico enim vniuersalis locutio determinatur ad omnem hominem cui vis sit imperare, sive Regi, sive Ducibus. Quem modum loquendi, passim quoque usurpamus, hortantes subditos vt parent omnibus hominibus, vtiq; qui iure praesunt. Neque tamen iure idcirco est argumentandum, hominem qui in ea loquendi formula pro subiecta materia. significat praefectum, ac superiorem, sonare simpliciter superiorem, eamque esse vocis illius notionem. Quare alio recurrendum est, vt monstremus,

qua ratione Christus dictus sit noua creatura.

*Expensus locus Ieremiae, de nouo creato super terram.*

192 Insinuatur ea locutio in nonnullis Scripturis, vt Ierem. 31. verbis illis, *nouum creabit Dominus super terram; femina circumdabit virum*. Quem locum frustra Catholici quidam male consulti, aliud auertunt. Nempe vel ad Iuditham, quam aiunt circumdedit Holofernem & occidisse, hocque esse nouum illud quod fecit Dominus super terram: vel ad synagogam, quam aiunt expressam *femina* nomine, & praenunciatam, Christo viro suo adhaesuram. Haec dico frustra proferri. Non enim caedes Holofernis, dici potest circumdatio viri per feminam. Vt quid enim? Incubuit sanè in iacentem armata pugione Iuditha; sed hoc non est circumdare, vt videtur per se manifestum. Sed neque nouum est, feminam occidere virum: vt propterea dicendum fuerit, Deum creasse nouum super terram. Multae enim (quod latè prosequitur Adrianus Finus lib. 2. flagelli cap. 4. hanc loci huius Ieremiae peruerfionem refellens, multae inquam, & quidem vt Finus contendit, multo generosius & fortius quam Iuditha, viros ante eam caeciderant. Vnde non potest Holofernis caedes, dici esse nouum illud quod Dominus creauit. Sed neque Synagoga, Deum tanquam femina virum circumdans; id est ei adhaerens, dici potest nouum illud quod Dominus super terram creauit, vt Oleaster canone 4. praambulanti in Genesim, est interpretatus. Nam iam pridem ad Deum aliquoties reuersa erat synagoga; eique adhaeserat tanquam marito: vt proinde non posset ea reuersio & adhaesio, dici quod nouum. Neque verò causa propter quam Propheta nouum illud à Deo creatum memorat, rectè quadrat in eandem adhaesionem. Idcirco enim profert illud nouum Dei opus, vt suadeat Israël, non esse vltra diffuendum deliciis: cuius rei argumentum est Christi aduentus, non autem adhaesio illa Synagoga.

193 Quare dubitandum non est, quin Propheta per nouum quod creauit Dominus, intellexerit Christum, qui etiamnum infans matris vtero abditus, vir erat, & eodem iudicio ac sensu quo vir factus pollebat, vt propterea Clem. Alex. i. paedag. cap. 5. Christum vocet *perfectum puerum*. Hunc virum circumdedit femina, quia alio conclusum illum tenuit Deipata. Hoc enim esse feminam circumdare virum, pulcherrimè tradit S. Bernardus hom. 2. super missus est. Non pauci Hebraei, referente Fino capite citato, non legunt *femina*, sed *virgo*: quod mirè consentit cum Christiana veritate. Neque enim alia vniquam virgo circumdedit ventre suo virum, praeter B. Virginem, cum Christum circumdedit gestans vterum. Alij verò plerique Rabbini, tametsi feminam virum circumdedit ex Ieremia statuant, tamen aequè eum locum de Christo accipiunt & eius matre, vt videre est apud eundem Finum, & apud Hieronymum 2. S. Fide lib. 2. contra Iudaeos cap. 4. Christiani verò



verò Doctores eandem loci Hieremias interpretationem vnanimiter tradunt, vt non sit necesse sigillatim quosdam proferre, sed tanquam ratum apud omnes ponere liceat, Christum dici eo loco, *nouum à Deo creatum super terram, siue nouum creaturam.*

*Et locus Apostoli, de nouo homine secundum Deum creato.*

194 In eandem sententiam, S. Hilarius 12. de Trinit. profert illud Apostoli Ephes. 4. *induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est*: hoc enim idem esse censet S. Hilarius, ac si dictum esset, *induitur Dominum Iesum Christum*; indeque docet, filium Dei in homine, ac ex homine, esse facturam & creaturam. Eodem modo Apostolum intelligit creditus Anselmus in eum locum; sed optimè planè S. Hieronymus ibid. quem operæ pretium est adscribere. [Cum renouati fuerimus in Spiritu, qui nostri sensus & spiritus, tum induemur nouum hominem qui secundum Deum creatus est. Quod quidem aliis verbis idipsum puto esse quod in alio loco dicitur; *Induite vos Christum Iesum.* Iste quippe est nouus homo, quo vniuersi credentes debemus indui atque vestiui. Quid enim in homine qui à Salvatore nostro assumptus, non nouum fuit? ] Et mox ponderans vim vocis *creatus*, inde colligit quantum quæque sublime sit, hoc nouum quod Dominus creauit super terram. [ Considerandum (inquit,) quia *creatio* atque *conditio*, nunquam nisi in magnis operibus nominantur. Verbi causa, *mundus creatus est*; *urbis condita est*; domus verò quamvis magna sit, aedificata potius dicitur, quam condita vel creata. In magnis enim operibus atque facturis Verbum *creationis* assumitur. Ex quo animaduertendum, istum nouum hominem, qui iuxta Deum in Christo creatus est; magnum Dei opus esse dicatur, vt mundus & initium viarum Dei, & in exordio elementorum omnium sit creatus. ]

*Quomodo Christus noua creatura, si Deus primo Sabatho, cessauit ab vniuerso opere creationis.*

195 Est igitur apertè Christus, iuxta modum quoque loquendi Scripturarum, *noua creatura*. Nec est quod quis obiciat, Christum productum esse in fine sæculorum; Deum autem à creando cessasse die septima. Hoc si quis opponat, respondet Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 2. personam quæ requiescit dicitur in mundi principio, esse Deum Patrem, naturæ conditorem. Esse verò Spiritum sanctum, qui creationem & molitionem nouæ huius creaturæ, executus est Christus enim conceptus est de Spiritu sancto. Verum cum opera ad extra sint toti Sanctissimæ Trinitati communia; perspicuum est, eam Rupertus doctrinam non posse subsistere. Facile tamen erit, difficultatem propositam elidere cum Sanct. Thoma 1. p. q. 73. art. 1. ad 3. annuente S. Bonaventura in 1. d. 15. *dub. 4. circa litteram* dicendo tatenus Christum de nouo conditum esse, ab-

que temeratione veritatis illius, qua dicitur Deum post primum dicrum senarium quiescisse à creando, quia Christus cum sit homo sicut nos sumus, non est aliquid omnino nouum. Ea autem Dei quies in eo sita est, quod Deus à primo dicrum senario, nihil produxerit plantæ nouum, quodque aliquo modo non præexistisset iuxta illud Eccles. 1. *nihil sub Sole nouum.* Iam enim præfuit in sæculis quæ fuerunt ante nos. Additque D. Bonaventura, Deum post sex primos dies nihil creasse, aut per seipsum produxisse, necessarium ad perfectionem & complementum vniuersi. At Christus supra totum naturæ ordinem erat, & vniuersi naturalem completionem longè excedebat. Quam doctrinam aliis verbis tradit, generatim ad hanc difficultatem respondens Suarez lib. 2. Col. mop. cap. 11. num. 6. simplicissimè verò dici potest, Deum quiescisse ab vniuerso opere quod pararat, siue cessasse à prima productione rerum, non abrogatâ sibi facultate nouum aliquid creandi cum luberet: vt patet ex animarum nouâ in dies singulos creatione. [ Sol quia ordo rerum hunc fixum habuit statum. ] vt ex Aristobulo eam Dei à creando cessationem exponit Eusebius lib. 13. de præpar. cap. 7. & pulchrè S. Augustinus serm. 15. ex 40. nouis.

Quando autem huc devenimus, nolo omittere petelegantem Rupertum considerationem de Christo, prima simul creaturâ verò sabatho Deique in eo quiete ab operibus. Nam quæ de Christo, sabatho mystico superius sunt dicta cap. 4. alio referebantur. Rupertus ergo sic in rem nostram disserit lib. 2. in Regulam Sancti Benedicti cap. 4. [ Quia vespertim sabathum sequenti mane, id est cum prima sabathi coniungit Ecclesia Sancta in vnam festiuitatem Iesu Christi, opportunè per studium meditationis illud recolimus, quia secundum hanc similitudinem, sabathum Dei, id est Verbum vel Sapientia Dei, in vnam conuenit personam cum vera humanitate eiusdem Verbi. Et hæc, scilicet humanitas illius, glorificata gloria resurrectionis, eidem Deo Patri, prima est sabathi, id est præcipua causa vel materia recreationis atque delectamenti, quia sicut scriptum est, *letabitur Dominus in operibus suis.* Nihil enim Deus tale vnquam fecit inter cetera opera quæ dignatus est operari. Et erant quidem valde bonæ, sed nihil tale, vt est humanitas coniuncta Verbo in vnitæ personæ. Similitudinem sume de cythara, quoniam huic dixit patet, *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara.* Etenim cytharæ antiquitus octo chordis fiebant, Octaua autem chorda, eadem est quæ prima, nisi quod altius resonat, sono quem disciplina Musicæ artis *diapason* nuncupat. Igitur quemadmodum in hac symphonia quæ *diapason* dicitur nulla chorda siue vox præter octauam, eadem est quæ prima; ita in vniuersitate creaturæ quæ sex diebus peracta est, nihil est illi diei, qui (vt iam supra dictum est) natura primus, numero autem est septimus, nihil inquam illi diei, illi Verbo, vel Sapientia Dei, ita est vel esse debet coniunctum, vt ille vnicus homo Deus & Saluator hominum, Deus & Imperator Angelorum. Et omnes quidem chordæ bene resonant. Omnia enim opera sex die rum



derum, valde bona sunt: Sed ista chorda, cum prima & eadem est, & altera: Eadem secundum personam, altera secundum substantiam. Illud quoque perpulchrum est considerare, quia Sabbathum vel requies Domini, in Genesi vespere non habet, in Evangelio autem habet; dicente diuino Euangelista, *vespere sabbatis*, quam ne penes precedentem, sicut in eadem Genesi, ceterorum quorumque dierum sua vespera praecedit, determinat sic dicendo, *quae lusus in prima sabbati*. Denique Verbum quod erat in principio apud Deum, secundum se nullam vngam habuit vesperam: Nam & ipsum potius est & erat ante omnia: Secundum autem susceptum hominem, & vesperam habet & mane, sicut iam supra dictum est. Alia in hanc rem prolata sunt superius tractando quomodo Christus sibi bene complacuerit in dilecto Filio. Quae autem nunc adduximus eo pertinent, vt intelligatur quomodo ita Christus sit noua creatura, vt tamen in eo quiescit, tanquam in Sabbatho suo. Ita igitur Deus in Christo sabbatizauit atque quiescit vt tamen Christus, sit noua Dei creatura.

*Prima ratio Christum vocandi nouo creaturam, à tam multis in eo nouitatibus.*

His ita constitutis, superest inquirendum quae de causa Christus, *noua creatura* denominationem fortitur. Quod primum in cogitationem incurrit, illud est, quod à S. Hieronymo loco superius allegato traditur: nimirum in eodem Christo dici *nouam creaturam*, quia omnia in eo noua & inusitata fuerunt. [Quid enim (inquit) in homine qui à Saluatore nostro assumptus est, non nouum fuit? Conceptus, natiuitas, partus, infantia, doctrina, vitas, virtutes. Hunc locum per immemorem S. Hieronymum l. pro perpetua Deiparae Virginitate, explicans nouum hoc Dei opus, ad huc tanquam S. Augustini scribentis in epistolam ad Ephesios: cum tamen nulla sit Augustini in eam epistolam lucubratio. Poterat tamen profertur Augustinus serm. 5. de natali Domini quo loco ex tam nouo Christi conceptu & partu, probat Christum esse nouum quod creauit Dominus. Nec dissimiliter Autor sermonis de Nati. Christi apud Cyprianum, qui praefatus noua mita plerumque in Christo cerni, propter quae sit ipse nouum Dei opus, & noua creatura, subdit. [Nouum & inauditum quod in materni angustia vteri; circumdedit intra se fragilis caro virtutem altissimi; & ordinem rerum, cursumque naturae mutauit Sapientia Dei, & vbique diuinitas dilatata, plenitudinem sui, vasi infundens exiguo, sic est circumdata muliebri vtero, vt cum vniuersa ambitur implens omnia, excedens cuncta, intra se omnia continens; extra, vniuersa complectens.]

Gregorius item Nyssenus orat. 1. de resurr. Christum putat dictum *nouum hominem* à nouitate primae & secundae natiuitatis. Paulo explicatius S. Bernardus locum Hieronymi supra propositum pertractans, cum expendisset difficultatem occurrentem in viti circumdatione

per foeminam subdit. [Sed verito me ad conceptum partumque virginealem, si forte inter plurima noua ac mira, quae ibi profecto inspicit qui diligenter inquirat, etiam hanc quam de Prophetia protuli, repetam nouitatem. Porro ibi agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas si attendas, potentiam regi, Sapientiam instrui, virtutem sustentari; Deum denique lactentem, sed Angelos resicientem: vagientem, sed miseris consolantem. Videas si attendas, tristari laetitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia laetificans; pavor confortans; passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans. Cui iam illud quod non occurrat quod quarebam? Quomodo scilicet Christus vir per foeminam circumdatus, sit nouum à Deo creatum?

Vide an non iure tot nouitatibus vnâ adunatis, exclamarit Nazianz. orat. 38. [O nauam mixtionem! ô admirandam temperationem! Qui est, sit: qui creatus non est, creatur: qui nullo loco contineri potest, per interuentum animae intellectualis; inter diuinitatem & carnis crassitiem, continetur. Qui locupletis alios dicitur, paupertate afficitur. Carnis enim mae paupertatem subit, vt ego diuinitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur: Sua enim gloria, ad breue tempus exinanitur, vt ego plenitudinis ipsius particeps efficiar.] Hae est prima & per se obuia, nouae creaturae in Christo notio, quam S. Dionys. cap. 2. de diu. nom. part. 2. confirmasse visus est, vocans mysterium ortus Christi, *supereminentem nouitatibus omnibus nouitatem*.

*Secunda ratio, quia probat à Christo vetustas.*

197 Nec illa alia, nouae creaturae notio respuenda est, quae saepe ab Apostolo insinuat, nouam creaturam denominante eam quae vetustatem à se abiecerit; id est interprete Niceta ad orat. 43. Nazianzeni, iis prauitatibus quas veterum naturae à mundi prope exordio corruptae, homini conferit ablegatis; nouum vitae genus assumpserit. Quo in genere Christus Dominus, fuit nouitatis exemplar. Nihil enim in eo antiquae corruptelae locum habuit. Nulla ei siue patentalis, siue arbitraria adhaesit prauitas. Nouus vsquequaque & recens fuit. Nam nulla ei peccati rubigo, nullus situs obduci potuit; siue quoad maculam, siue quoad reatum. Quam esse in nobis vetustatem toties apud Apostolum improbatam, S. Thomas Roman. 6. lect. 2. annotauit. Qui etiam distinctius eam vetustatem declarat lect. 7. in c. 4. ad Ephes. verbis illis. [Homo vetus dicitur, tam miseriae, quam exterior; qui subiicitur vetustati quantum ad animam per peccatum; & quantum ad corpus, quia membra corporis sunt arma peccati. Et sic subiectus homo peccato, secundum animam & corpus, dicitur vetus homo; secundum quod illa vetusta sunt, quae sunt in viti corruptionis; vel in ipso corrupti, quia quod antiquatur & senescit, prope interitum est, vt dicitur

M. citat



icitur Hebræorum 8. Et sic homo subiectus peccato, dicitur vetus, quia est in via corruptionis: propter quod subdit. *Qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Nam vnumquodque corrumpitur, cum recedit ab origine nature sue. Natura autem hominis est, ut desiderium eius tendat ad id quod est secundum rationem. Perfectio autem & bonum rationis, est veritas. Quando ergo ratio tendit ad errorem, & desiderium ex hoc errore corrumpitur, tunc vetus homo dicitur.]

Omnis hæc vetustas, ut vides, quam longissime à Christo absuit, fuitque proinde omni ratione nouus. Nam & corpus eius rationi perfecte subiicitur, & anima indeclinabiliter in bonum rationis tendit, hæcque in nouitate sibi consentanea. Quia de re plenè tractando Christi perfectiones cap. 4. Hæc ex causa, Christum *nouam vitam creaturam*, nominat Gregor. Nyss. lib. de perfecta Christiani forma. Videtur hanc Christi nouitatem designare S. Bernardus serm. 6. de vigil. Natiuit. Dom. cum ait, [hic nouus homo qui nullius vnquam vetustatis capax, etiam eos quorum inueterarunt omnia ossa, in veram vitam transferat nouitatem.]

*Ratio tertia, ab illata in orbem nouitate.*

198 Suggestis his postremis verbis S. Bernardus, aliam perpuleham & plerisque probatam nouitatis Christi notionem, quia Christus, *nouus, & noua creatura* dici potuit, quia nouitatem mundo intulit; omnia enim innouauit per gratiam. Quæ ratio denominandi Christum nouum hominem, atque adeo nouam creaturam, à D. Thoma profertur Ephel. 2. lect. 3. Hæcque spectat, quod de omnibus per Christum nouis, traditur 1. Cor. 5. ut interpretatur S. Chrysostomus hom. 11. in eam epistolam, his verbis. [Inueterati & senio confecti in malis; omnes erant, sed ecce omnia noua purificatum enim, & corpus nouum, & cultus nouus, & promissiones nouæ, & testamentum, & vita, & mensa, & stola, & in summa omnia noua. Etenim pro Hierusalem quæ infra, accepimus supernam Metropolim: & pro templo visibili, templum vidimus spirituale: pro lapideis tabulis, carneus pro circumcisione, baptisma; pro mæna, corpus dominicum; pro aqua petra; sanguinem à latere: pro virga Moysi vel Aaron, crucem; pro tecta promissionis, regnum celorum: pro innumeris Sacerdotibus, vnum Pontificem: pro agno irrationali, agnum spirituale. Hæc & talia cogitans dicebat, *noua omnia*, hæc autem ex Deo per Christum, & dono illius.] Eodem modo quomodo omnia facta sunt per Christum noua, exposuit S. Augustin. lib. de Cantico nouo cap. 1. sic glossans Apostolum. [*Vetera transferuntur ecce facta sunt omnia noua.* Quæ vetera transferuntur? quæ facta sunt noua? si adfit spiritualis auditor, non solum intelligit verumetiam videt quæ facta sunt noua. Si autem carnalis adfit, qui totum per oculos carnis, nihil per aciem mentis intelligit, irridens responderet; Rogo te, dic, quæ facta sunt noua? Numquid aliud cælum respicio, quam antea, aut sydera in nouum splendorem micantia? Nonne iisdem curribus sol

peragit diem, iisdemque curculis, luna peragit noctem? Numquid mare terminos suos finelque transgressum est, aut terræ facies immutata, alia insolita germina procreantur, quid sicut ex initio, horis duodecim peragitur dies, eisdemque clementis æstatis tempus, quibus detrimentis hyems peragitur? progenies quoque ipsa mortalium aliis decedentibus, aliis succedentibus terminatos finiunt dies. Quam ergo omnia sicut ex initio constituta sunt, ita concurrunt, suos motus finelque seruantes, quid est quod nobis prædicatur, *vetera transferuntur, ecce facta sunt omnia noua*? Respondeo d. Paulo, talia de nobis requirunt, & quia minime valeo ad respondendum, te obsecro, responde pro me. Ecce audi Apostolum; Quid queris carnalis auditor per oculos carnis respicere? Erige mentis aciem, ut quod dicitur possis intelligere, *vetera transferuntur, ecce facta sunt omnia noua*. Quæ vetera transferuntur, quæ facta sunt noua? *Primus homo*, inquit, *de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*; Transiit in Adam homo vetus factus ex limo, venit Christus Deus homo, missus à cælo.]

Hic est nouus dies quem fecit Dominus. Faciunt huc quæ de nouo die in quem Sanctus quisque suspirabat, scribit ad Platini mentem S. Ambrosius, exponens illud ex psal. 38. *Ecce mensurabiles (ipse legit veteres) pagini dies meos.* Depulsa enim per Christum vetustate, sibi gratulatur quia [vetus dies præterit, nouus venit. Alius enim dies hominis, alius dies Christi, quem Abraham vidit, & gaudens est, de quo & David ait: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Sanctus ergo, in die Domini exultat, in die nouo, in quo Deus Dominus illuxit nobis, & dedit nouum lucem, in innoxiam vitam & integram reformationis. Ideo vir iustus secutus nouæ lucis & gratiæ Dei, & erit, inquit, *cælum nouum & terra noua, & nouum lumen.* Non enim lucerna & lumen solis illuc hutebit, aut luna: sed Dominus illuminabit super populum suum. Illa ergo desideravi illa exoptavi: & ideo diem hominum non requisui.]

*Christus idcirco dictus, vii spirituale.*

199 Hoc nouum lumen, & nouus hic dies, terram efficit nouam. Quo retulerim quod S. Cyrillus lib. 3. glaphyr. in Exodum, Christum à nouitate in orbem inducta, & innouata spiritualis terræ facie, appellat *ver* & aduentum eius vocat *mensam nouorum*. Sic enim scribit: [In primo mense, qui & *nouorum* appellatus est, cultus ymbrae & typicus færmæ cellarum, contractusque est & à medio sublati. Quomodo hoc? Illuxit enim nobis vnguentis Dei filius humana specie, velut in mense nouorum. Unde & ipse dixit loquens: *Adsum, & inuocabo in montibus, & tanquam in mensis inuocabo frugum.* Sic & Ecclesiam ex gentibus compellauit dicens: *Surge, veni proxima mea, pueri mei, columba mea, quia ecce hyems præterit, & pluuia abiit, recessit sibi ipsi. Flores apparuerunt in terra nostra: & temptum putationis aduenit. Re-*



nobis ostensum, cum floridam & fructuosam efficit hominis naturam.]

Sed distinctis hom. seu veriùs epistola 13. Palch. [Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, per quem omnes reslosumus ad incorruptionem & vitam. Venit namque; ad nos tanquam *uer in montibus*. Quid ita? Arbor nempe in montibus & hortis, densante ipsas hyeme, nec permittente humorem è radicibus vberit ad superiora excurrere, exatellunt propemodum, fructibusque, ac foliis vndique destituuntur. Cum autem ver appetit, rideique anni tempus, cum sol feruidioribus radiis vniuersa excoquit, laxantur quæ prius adstricta fuerant, & humore ex imis radicibus in omnes partes libere diffuente; complentur succo rami, nouamque foliorum viriditatem ex pullulantes, illico suis fructibus coronantur. Fuit igitur nobis tanquam ver in montibus Dominus noster Iesus Christus. Quod quidem nobis ex aliis quoque Sacre Scripturæ locis conformare licet. Siquidem in Cantico Canticum, sponsi persona inducitur, his verbis Ecclesiam veluti Sponsam suam compellantis; *veni amica mea, speciosa mea, columba mea, quia hec hyems transiit, imber abiit, & a se recessit. Flores a paruerunt in terra, tempus putationis aduenit.* Fuit præterea similis pedibus euangelizantis auditum pacis, euangelizantis bona.]

100 Non mihi tempore, quo minus quæ alibi in hanc rem commentatur idem Cyrillus, insuper addam valde quippe ad rem faciunt. Igitur lib. 4. in Ioan. cap. 28. exponens præceptum Exodi 40. latum, de exigendo tabernaculo in mense primo, in neomenia, sic scribit, [Neomenia nihil aliud denotat, quam Salutatoris aduentum, quo renouamur, quo transactis iam prius, omnia noua facta videmus. Nouum enim vere tempus in Christo nobis apparuit antiquitatem cultu iam terminans, & in nouam vitam Evangelica doctrina reformans, & peccatis inueteratos, in iuuentam iustitiæ redigens & corruptionis vires destruens, ac incorruptibilitatis fulgore omnes, qui ad eum concurrunt, inuicem in modum exornans. Noua enim creatura efficitur, quisquis in Christo est, vt scribitur. Mense autem primo tabernaculum creatum est, quando mitigata hyemis sæuitia, verni temporis pulchritudo resplendet: quando solis radij & clarius fulgent, & temperantiùs calefaciunt; quando floribus terra decoratur, & virentibus herbis prata vestitur. Quæ omnia spiritaliter intelligenda sunt. Hyemis enim tempestas, id est atrocissima Diaboli tyrannis, & vires eius, tempore Christi ceciderunt. Sol autem nobis fulgentior, Christus ipse apparuit, de quo Deus Pater dicit, & orietur vobis Sol iustitiæ, delictorum frigiditate corruptos, spiritibus ardore ad iustitiam resciciens. Flores autem & virentes herbas, meritò Sanctos dicemus, feruenti erga Deum pietatē varios virtutis fructus edentes. Et qui olim regnante peccato, vt in hyeme, nullum producentes fructum verfabamur, fidei fructum, Spiritum largitori quasi bono agricolæ afferimus. Hoc ipsum quasi ex persona Christi, Prophetarum qui eam nos docuit: ipse qui loquebar, adsum, in-

quit, vt *ver super montes*. Quid enim in montibus ver efficiat, & nos tetigimus, & omnes intelligunt.] Habet idem fere rursus lib. 10. de ador. *sub initium*. [Vbi eum notauit non carere mysterio nouilunium subiungit [quod verum tempus efficit in montibus; illud idem in nobis Saluatoris nostri aduentus effecit, qui in ordine temporum quasi anno secundo fuit, non autem primo tempore, quo lex, & Prophetarum chorus vigeat, & quo mors dominabatur. Regnavit enim ab Adam vsque ad Moysen. Igitur tanquam secundo anno, id est tempore quo illud primum, quo fuit lex, proximè consequitur, Ecclesia ex gentibus emicuit, quæ Christum inhabitantem habet, qui est legis ac Prophetarum finis.]

*Expensus Isaías, de Christo vt hora in montibus, & vere nostro.*

201 Locus quem omnibus prædictis locis adducit S. Cyrillus, habetur Isaías 52. his apud vulgatum verbis. *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quam pulchri super montes, pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum.* Illud, *quam pulchri* 70. vertunt *opa*. Quæ vox, ambigua est. Nam si cum aspiratione scribatur, nunc *horam* significat, temporis inquam partem, diei artificialis duodecimam: nunc partem anni, præsertim vernam tempus, & metaphoricè pulchritudinem vnde *ἀπαύριον* pulchritudo, & *ἐξοπαι* quorum pulchritudo euannit. Si verò scribatur absque aspiratione, significat sollicitudinem ac curam, circa quam & in qua maturatione sit opus. Ob eam vocis ambiguitatem, factum est, vt Græci plerique, & multi antiquorum latinorum, adherentes interpretationi 70. legant eum locum diuersimodè. Quidam, *adsum dum hora est in montibus*. Ita Tertullianus lib. 4. in Marcio. cap. 13. Nonnulli *velut hora in montibus*, putantes alludi ad eos qui publica horologia curabant, & denunciandorum solemniū temporum curam habebant, quos Atheniensibus *gnomones* Persis *horas* dictos, scribit Cælius lib. 12. cap. 9. Apud Romanos id præstabat Censor, ex Gellio lib. 14. cap. 7. & Plinio lib. 7. cap. 68. Apostolis in Ecclesia id muneris à Christo datum, ideò horæ dici potuerunt, eoque alludi prædicto loco. Alij verterunt hoc modo, *sicut ver in montibus*, vt Cyrillus locis allegatis. Alij tanquam *maturationis in montibus*, vt S. Ambrosius epist. 11. quæ est ad Irenæum: qui tamen eam maturationem accipit non pro maturatione & acceleratione, sed pro exclusionē acerbis & acoris, ex qua fructus *maturos* denominamus. Nec multum abest quod Tertullianus lib. 5. in Marcio. cap. 5. legit *quam maturi pedes*, & ibid. cap. 2. *quam tempestiui pedes*. Quæ tempestiuitas videtur recidere in illam aliam lectionem, quam iam ex eo retuli lib. 4. eiusdem operis cap. 13. nempe quæ aduentus opportunitatem sonat, non autem celeritatem. Et quia tempus veris est orbi valde tempestiuum & opportunum post hybemos vigotes, non immerito dicitur Christus affuisse tanquam ver. Eamque lectionem S. Cyrillus, locis quæ signabam, est secutus.

Hoc est lacteum ver nostrum, Christus, ait Gregor.



Gregor. Thaumaturgus orat. 1. de annunc. initio. Ver spirituale, ver animorum, ver inuisibile, quod Nazianz. orat. 43. in ipso sine proponit, & opponit mundano ac visibili, cuius perelegantem descriptionem exhibet. Quod si ea Dominica, quæ ut ibi Theologus late differit ver spirituale orbi inferebat; octava inquam Paschæ, ecclesiis sacris destinata, dicebatur *nona Domini- ca*, multo magis Christus innouans faciem terræ emisso in eam vitæ Spiritu, & peccati hyemem depellens, ac nouas creaturas produ- cens, *nonus homo* & metonymicè siue causali- ter, *nona creatura* dici potuit. Idque peculiari- ter conuenire Christo in Eucharistia, docent illa S. Cyrilli lib. 12. de adorat. [Quia Christus noua creatura est secundum Scripturas, eam ob causam nos quoque in nobis ipsis per san- ctam eius carnem & sanguinem accipimus, ut in vitæ nouitatem per ipsum & in ipso refor- mati, deponamus veterem hominem, qui cor- rumpitur secundum desideria errotis.]

*Hyems mystica, per ver sacrum depulsa.*

202 Ut autem spirituale hoc ver quod Christus est, & Christum ex hoc quoque capi- te nouam creaturam, ob oculos utcumque ponamus, & vocem turturis, id est Ecclesiæ in hoc verè agnoscamus, ut docet Chrysost. hom. de Turtura, consideranda antèrè est cum Ny- sene hom. 5. in Cant. hyems peccati, ac tempe- statis horrentis orbem vniuersum occupantis ante Christi aduentum; statumque ergo vni- uersi per ea tempora tetrerrimum, sub hyemis imagine sic describit ibi Nysenus. [Dicitur hyems, propter multiplicem malorum signifi- cationem. Nam hyeme & quæ germinarunt, marcescunt, & arborum pulchritudo, quæ natu- raliter suam venustatem ac decorem accepit à foliis; excidit à foliis & miscetur terræ. Multa- tum autem. Silet concentus. Fugit lusciniæ, torpet hirundo, à nido peregrinatur turtur, imi- tantur omnia tristitiam mortis, interit germen, moritur herba. Quomodo ossa separata à car- nibus, ita rami nudati foliis. Deforme euadit spectaculum, pro specie ac decore qui ei aderat ex germinibus. Quid autem dixerit quispiam ea quæ in mari hyeme accidunt, quemadmo- dum ab imo euersum & tumefactum scopulos imitatur, & montes in rectam figuram instat verticis aqua fastigiata? Quemadmodum in terram inruit non secus atque hostis, erumpens ultra fines suæ habitudinis, & frequentium vn- darum ictibus, tanquam aliquibus machinarum insulsi- bus, ipsam quatens: Sed has, & quæ sunt huiusmodi hyemis affectiones omnes, mihi mente versa, ad typicam deducens significatio- nem. Quid sit quod hyeme deflorescit & mar- cescit. Quid sit quod in tertam ex ramis resolu- nitur. Quanam sit vox quæ Silet Canonarum animum. Quodnam sit mare quod rugit flutibus. Quisnam deinde sit Imber. Quæ sint Imbris stillæ, quemadmodum Imber abeat, & se reci- piat. Per hoc enim, id quod est animatum, & libero arbitrio præditum, tacite significat enigma huius hyemis. Fortè enim & si singu- la non explicant oratio, auditori erit manife- sta sententia, quæ se ostendit in vnoquoque

eorum: quemadmodum in initio humana ger- minauit natura, quamdiu fuit in paradiso, aqua illius fontis irrigata & germinans: quando erat pro filiis germen Immortalitatis, naturam decorans. Sed cum hyems inobedientiæ radi- cem exsicasset, flos in terram excussus est, & solutus & nudatus fuit homo à pulchritudi- ne Immortalitatis, & excitata fuit herba vir- tutum, refrigerata in Deum charitate, propte- reà quod abundasset iniquitas; unde variæ af- fectiones aduersis flutibus in nobis sunt in al- tum excitatæ; per quas sunt mala animæ nau- fragia.]

203 Hæc omnia hyemnis mysticæ mala, depul- lit ver mysticum Christum, quod apertè eiusdem Niseni verbis recisè perelegatè materialis veris descriptione: qua præmissa, admonens abiectionem verborum cortice, perauadendum esse ad thesa- urum intelligentiarum intus abdutum, subdit. [Quid est ergo quod dicimus? Frigore Idola- triæ aliquando concreuerat genus humanum, mobili hominum natura conuersa ad cultum rerum Immobilem. Similes enim, (inquit) fi- ant qui faciunt illa, & omnes qui considerant in eis. Consentaneum autem erat, hæc ita fieri. Quo- modò enim qui veram aspiciunt diuinitatem, in se accipiunt diuinæ naturæ proprietates: Ita qui simulachrorum attendebat vanitatem, transformabatur in id quod aspiciebatur, lapsus factus ex homine. Quoniam ergo quæ per Cultum Idolorum lapiduerat, ad id quod est melius erat Immobiles natura, concreta frige- re Idolatriæ, ea de causa propter asperum hanc hyemem oritur Sol Iustitiæ, & ver efficit meridiano Spiritu hanc soluente concretio- nem, simul cum ortu radiorum fouente: quic- quid est subiectum, & Spiritu excalescit qui per gelu homo lapiduerat, & fons radio Ver- bi, rursus fiat aqua Saluens in vitam æter- nam.]

Eadem planè mens insedit Nazianzeno orat. 42. Sic enim explicat cum Paschalis agnus, Christi typus, *agnus amniculus* sit nominatus. [Amniculus porro ut Sol Iustitiæ, vel & celo progrediens, vel quantum ad partem eam quæ oculis cernitur, circumscriptus ac definitus, & ad se ipsum rediens: atque item ut benignita- tis Corona benedicta, omnique ex parte suis similis & æqualis: ac præterea ut virtutum, quæ amicitia ordinisque lege leniter placide- que inter se coniunguntur, & commilcentur, orbem progignens. In his verbis, Christum solem omnes anni tempestates verque in pe- mis, suo ad nos appulsi efficientem, & innou- antem terram, attingit Theologus & fide ac omnino eleganter id ipsum repræsentat Nicetas ad hunc Theologi locum, quem consulat cui hæc non sunt satis. Est igitur Christus, hoc item ex capite, *nona creatura*, metonymi- ce ac causaliter.

*Modus alius Christum denomi- nandi ver sacrum, improbat.*

204 Occurrit (præterea alius sensus quo Christus dictus videri possit *ver sacrum*, sed qui non sit ad mentem propositum Patrum. *Ver sacrum*



# Christus, noua Dei creatura.

91

*Ver sacrum* vocabant Romani, tracta à Græcis consuetudine, ut inuit strabo l. 5. *sub finem*, eos qui ob ingens aliquod periculum declinandum deuoti fuerant; ideoque veluti abigebantur. Ita enim fert locus Iustini libro 24. vbi ait, Gallos trecenta hominum millia veluti ver sacrum, misisse ad sedes nouas quaerendas. In quæ verba ignarus quispiam, quia quid esset *ver sacrum* ignorabat, induxit errorem substituens *missos ad peregrinandum*. Sed germanam lectionem, ex fide veterum codicum representauit Pithæus l. 1. aduers. c. 6. vbi eodem modo restituit locum solini c. 8. Polyhistoris de Catillo qui missus dicitur eum omni sæturi *ver sacro*. Legendum enim, *ver sacrum*. Nominis, ac Festus, & Lilius, quæ esset veris illius sacri causa & ratio, quomodo item inde verne vocabulum pro deuoto, & maledicto ac detestabili sit haustum; perspicue explicant locis ibi à Pithæo notatis, & à Biscoliola t. 1. subsec. c. 14. qui addit, strabonem sub finem libris usurpatum à Samnitibus *ver sacrum* memorate, tacito licet *veris sacri* nomine. Addit & Iulianum l. 4. hist. Christus ergo nostrum *ver sacrum*, & verna pro nobis factus est; quatenus factus est pro nobis maledictum, ut excluderet excidium nostrum. Ceterum ea veris sacri notio, tamen si Christo aptari queat, non est tamen tradita à Patribus, qui Christum *ver sacrum* appellauerunt. Tantum quippe respexerunt, ad eam terræ innouationem quam fert tempestas veris. Vnde perinde fuit, quod Christum *ver* appellauerunt, ac si Christum nominaliter nouam creaturam metonymicè & causaliter.

*Quarta & maxime germana ratio  
Christum denominandi no-  
uam creaturam ex con-  
trapositione cum  
Adamo.*

205 Verum præcipua ratio, eiusdem nominis noua creatura Christo tribui, esse videtur, contrapositio Christi & Adami, duarum generis nostri stirpium vt scite dixit S. Cyrillus l. X. de ador. pag. 262. [Ecce (inquit Rupertus l. 1. de oper. spiritus sancti c. X. post descriptam Christi ex spiritu sancto productionem,) hæc est illa noua creatura, ille novus homo de quo Apostolus, *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de celo celestis. Item factus est primus homo Adam in animam trauentem, nouissimus vero in spiritum viuificantem.*] Excurrit inde per libri illius pleraque capita Rupertus, in vtriusque huius hominis antitheses. Considerat è quam meliore terra formatus sit Christus, quam Adam. Perpendit quomodo de Christo quoque eatenus dici poterit, quod de primo Adam, eiusque coniuge dictum est, *masculum & feminam creauit eos*, quatenus spiritus sanctus in vno vnus eiusdemque personæ Christo, creatam hominis naturam coniunxit increato Dei Verbo. Benedictionem verò qua Deus Adamo condito benedixisse legitur, multo vberiore & excellentiorem Christo impartitam demonstrat. Multiplicationem item ac repletionem

terræ, per populum ex Christo natum, quem fecit Dominus, probat si cremento & multiplicationi quam Deus primo homini obtingere voluit, longè antecellere. In alias denique bene multas analogicè dissimiles nouæ huius creaturæ cum prima, collatæ prærogatiuas, expatiatur eo libro per multa capita Rupertus, quem describere prolixitas vetat. Et multis quoque in eandem sententiam Philosophatur Cusanus lib. 3. cribrationis Alcorani cap. vltimo. Paucis autem aliunde delibatis, hunc sensum de Christo noua Dei creatura, illustrare operæ pretium videtur.

Tertullianus ipsam quoque de limo figurationem Adami, opifice Deo solo, ad Christum refert lib. de resurrect. carnis cap. 6. verbis illis. [Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis adfectione, quæ lineamenta ductabat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. Quod & limus, & sermo caro, quod & terra tunc. Si enim præfatio Patris ad filium: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Et fecit hominem Deum, id vtrique quod finxit, *ad imaginem Dei fecit illum*, scilicet Christi. Et *sermo enim Deus*, qui in effigie Dei constitutus non rapinam existimans parari Deo. Ita limus ille iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus.] Filium *pignus* dici apud Ambrosium, Saluanum, & alios, frequentissimum est. Itaque limus ille ex quo Adamus est efformatus, pignus dicitur Dei quia typicè erat Christus Dei filius: vt sicut Adam à Deo solo plasmatus, *fuit Dei*, iuxta Lucam cap. 3. ita Christus nullum agnosceus terrenum Patrem, iure Dei filius nominetur, & sit. Atque adeo valet quod dixit S. Ambrosius Lucæ 3. [Quid pulchrius potuit conuenire, quam vt Sancta sancta generatio à Dei filio inciperet, & vsque ad Dei filium deduceretur, creatusque præcederet in figura, vt natus in veritate sequeretur; Ad imaginem factus præiret, propter quem Dei imago descenderet.]

Consulto missa facio, quæ idem S. D. alibi de eodem argumento disserit, vt ea proferam in quibus Richardus Victorinus planè insigniter, Christi & Adami contentionem instituit lib. 1. de Eman. cap. 10. Quod igitur homo perdidit in primo homine, scilicet cum Deo esse, hoc videtur in nouo hoc homine recuperasse. Ibi ad mulierem dicitur; *In dolore paries filios*; Hic de hac nostra puerpera dicitur: *Eccæ virgo concipiet & pariet filium*. Sed quare illa peperit non sine dolore, nisi quia non concepit sine libidine: Libido sanè causa doloris, & dolor effectus libidinis. Ex effectu igitur causa innuitur in eo quod dicitur, *in dolore paries filios*. E contrario autem simul & è conuerso, hic ex sublatione causæ, perpenditur effectus ipsius sublatio. Quæ enim concepit cum virginitate, concepit sine libidine; consequenter intelligitur peperisse sine dolore. Ibi nec conceptus sine culpa, nec partus siue pena; hic quia Concupiscentia, & parturitio sine pressura. Quod igitur humana natura perdidit in puerpera prima scilicet concipere, & parere sine corruptione) hoc in puerpera nostra, ve-

M 3 lut



lut quædam reparationis suæ primitias videtur recepisse. Videtis quomodo homo Contra hominem, mulier contra mulierem ponitur, & modo ex opposito, modo ordine contrario, & simili quadam dissimilitudine, sibi invicem respondere videntur. Illic femina de viro solo, hic vir de femina sola. Ibi ex fortiori sexu, fragiliori fortior fructificatur, qui utrumque repararet. Vides ne tanta similitudinis dissimilitudo, dissimilitudinisque similitudo. Quomodo, nos admonet quoddam novitatis principium in istis, sicut quoddam vetustatis principium extitisse in illis? In primo homine quædam vetustatis inchoatio, in posteritatis suæ condemnationem. In secundo homine, quædam novitatis inchoatio, in generis sui reparationem.

*Quid recapitulatio apud Apostolum.*

207 Hæc est quam Apostolus Ephes. 1. iuxta multorum Patrum interpretationem, vocavit recapitulationem à Christo factam, ut eisdem lineis quibus perierat, salus humana redderetur. Pulchrè S. Irenæus l. 3. c. 3. sic de Christo scribens [ Aliquam plasmationem in se recapitulatus est quemadmodum protoplastus ille Adam, de rudi terra, & adhuc virgine; (nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram,) habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei, id est Verbo Dei; (omnia enim per ipsum facta sunt: & sumpsit Dominus limum à terra, & plasmavit hominem;) Ita recapitulans in se Adam ipse, verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationem.

Recapitulationem hanc ex Apostolo Ephes. 1. haustam, Tertull. l. 5. in Marcio. c. 17. expendens vim Græcæ vocis, ait idem latine sonare, quod *ad initium reductionem* vel *reversionem ab initio*. Ea verò ad initium reuocatio quomodo in Christo sit facta, sit exponit l. de monog. c. 5. vnde Adam veteris & nouissimi, primæque ac nouæ creaturæ contrapositio, optime deprehenditur [ Dicit Apostolus Scribens ad Ephesios, Deū proposuisse in semetipso ad dispensationem adimplentionis temporū, ad caput id est, ad initium reciprocare vniuersa in Christo, quæ sunt super celos & super terras in ipso. Sic & duas græciæ litteras, summam & ultimam sibi induit Dominus, initij & finis concurrentium in se figuras: vti quemadmodum à ad vsque voluit, & rursum à replicatur, ita ut ostenderet in se esse, & initij decursum ad finem, & finis recursum ad initium: ut omnis dispositio in eum desinens per quem capta est, per sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, p̄oīnde desinat quemadmodum & capit. Et adeo in Christo omnia reuocantur ad initium, ut & fides reuersa sit à circumcissione ad integritatem Carnis illius, sicut ab initio fuit: Et libertas ciborum, & sanguinis solius abstinencia, sicut ab initio fuit: & matrimonij indiuiduitas, sicut ab initio fuit & repudij cohibitio, quod ab initio non fuit: & postremo totus homo in paradysum reuocatur, vbi ab initio fuit. [ Videnda quæ supra

dixi ex Cassiano, tractans Christi tentationes, agendo de perfectionibus appetitus. Quam Tertulianus, *recapitulationem* dixit. Reformationem appellat firmicus l. de error. profan. c. 26. Descripto enim primo Adamo, & eius fraude ac deceptione per feminam, & inobedientia, subdit Firmicus [ Opponebat hoc totum & reformari & corrigi: & reformatio, originis debuit reformare primordia. Ex virginis terræ limo factus est Adam præuacatione propria promissam perdidit vitam. Per Virginem Mariam ac Spiritum Sanctum, Christus natus, & Immortalitatem accepit, & regnum. Arbor ligni pestiferum deceptis pabulum præbuit: lignum crucis, vitam immortalis compage restituit. Contempsit Adam, obediuit Deo Christus. Sic diuina dispositione, quicquid Adam perdidit, Christus inuenit.]

*Modus peractæ recapitulationis, per antitheses expressus à Patribus.*

208 Huic recapitulationi & reformationi ac rerum in statum pristinum reuocationi faciendæ, totam causam aduentus Verbi in carnem, adscribit Nazianzenus orat. 39. eamque per antitheses quoad varia illius adiuncta, concinnè exprimit, & illustrat post descriptum hominis lapsus inuidia Diaboli: subdit enim [ Quoniam enim ille vitij parens & effector, idem se inuicto quodam robore præditum esse existimabat, quia nos diuinitatis spe obiecta tanquam illecebra quadam in fradem induxerat, idem ipse quoque carnis pre-textu inescart; ut dum quasi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat; atque ita nouus Adamus pristinae salutis & incoluntatē veterem asserat, sententiæque aduersus carnem pronunciata rescindatur, morte nimirum à carne oppressa, & interempta.]

Idem orat. 1. [ Ob hanc causam Deus anima interuentu carni iunctus est, ac res inter se disunctæ ac dissidentes per interpositæ rei cum vtraque earum affinitatem, & cognationem copulatæ sunt; atque omnia propter omnia, & pro vno illo generis nostri principe in vnum coierunt anima similitudo propter eam quæ præcepto diuino minime paruit: Cui propter eam quæ anima cupiditati obsecra, est, simulque condemnata: Christus denique propter Adamum; hoc est propter eum qui sub peccato factus est, is qui peccato sublimior ac præstantior erat. Ob hanc etiam causam, veteri nouum substitutum est, & per passionem, is qui passus fuerat, in pristinum statum reuocatus, ac pro vnaquaque rerum nostrarum, vnaquæque res eius, qui nobis sublimior est, repens: nouumque mysterium factum est illa, quæ circa eum, qui ob inobedientiam cecidit, per benignitatem contigit dispensatio. Idcirco generatio & Virgo: idcirco præsepium & Bethleem: generatio propter effusionem, Virgo propter mulierem. Bethleem propter Edem, Præsepium propter paradysum, res parua & conspicua, propter magnas & ab oculis remotas.]

Rufus



Rursus paulo post. [Id circò lignum adhe-  
rens lignum, & manus aduersus manum; illa  
inquam, fortiter extensæ, aduersus in conti-  
nenter extensam, illa clavis confixa, atque  
confixæ, aduersus remissam & solutam, illa  
orbis fines coniungentes, aduersus eam quæ  
Adamum è paradiso exturbauit. Idcirco subli-  
mitas aduersus lapsum, & fel aduersus gustum,  
& Spinea Corona aduersus prauum Impe-  
rium, & mors aduersus mortem, & tenebræ  
propter lumen, & Sepultura aduersus illam in  
terram reuersionem, & resurrectio propter  
resurrectionem. Hæc omnia diuinæ cuiusdam  
erga nos disciplinæ loco erant, infirmitatisque  
nostre velut medicina quædam; veterem Ada-  
mum eò vnde exciderat, reducens, & ad illud  
vitæ lignum adducens, à quo scientiæ lignum,  
intempeliuè atque incommode perceptum,  
nos remouerat.] Vides quomodo Adam Anti-  
quus, & quæ circa eum sunt gesta, per simi-  
lem dissimilitudinem & conformem diffor-  
mitatem sint forma seu figura futuri, vt di-  
citur Rom. 5. vbi describitur Christi nouæ cre-  
aturæ antitypus, & forma à contrario, vt vocat  
D. Augustinus l. 2. de nupt. c. 27.

299 Digna sunt vt his subtexantur quæ  
pocherime ac piissime de more tradit, de re-  
medio à Christo malis nostris per propor-  
tionalia adhibito, S. Ambrosius serm. 37. con-  
cludens post multa in hunc modum. [Sicut di-  
xi, hoc agit Dominus, vt iis præiudiciis quibus  
homo obnoxius peccato fuerat, liberatur.  
Propterea namque per omnia secundum  
similitudinem Adæ nasci voluit, vt secun-  
dum similitudinem omnia hominis dissolue-  
ret. Adam enim de terra virgine natus est, &  
Christus de Maria Virgine procreatus. Illius  
maternum solum necdum scissum fuerat, is  
tius maternum secretum nunquam Concu-  
piscencia violatum, Adam Dei manibus plas-  
matur è limo; Christus Dei Spiritu formatur  
in vtero. Vterque ergo oritur cum patre, vter-  
que Virgine vitur matre, vterque sicut Evan-  
gelista dicit, filius Dei est, sed Adam Creaturâ  
est filius, Christus verò Substantiâ. Hoc ergo  
agit Dominus, sicut Adam Secundus, vt quod  
prior homo manducando perdidit, hoc al-  
ter ei ieiunando recipiat.]

Religio sit dimittere egregie in eandem  
sententiam disputantem S. Chrysostomum  
orat. de Pasch. latine facta à Pestrano. [Per  
quæ Diabolus (inquit) primò nos strauit, per  
eandem etiam Christus illum deuicit. Eadem  
inquam, panoplia illa, qua diabolus genus no-  
strum inuasit & debellauerat; Christus cer-  
tamine contra illum inito Diabolum vicissim  
persumedit. Quomodo autem, audi: Nostræ  
calamitatis & cladis symbola fuere; Virgo,  
lignum, & mors. Nam & Eva, virgo erat, Quan-  
do enim ducta est, necdum cum viro com-  
mercium habuerat. Lignum erat, discretionis  
arbor: mors supplicium, in Adamum consti-  
tutum. Ecce quomodo virgo, & lignum,  
& mors, calamitatis nostræ organa ex-  
stiterint virginemque cum Eva, lignumque sci-  
entiæ cum cruce comparans de ligno sic con-  
cludit. Illud Adam veluti Captiuum & nudum  
abscindebat, hoc autem victorem nudum, cla-  
uis que in sublimi suffixum, omnibus palam

ostendit: Adam tandem eos etiam in mortis  
condemnationem coniecit, qui longo post  
tempore illum consecuti sunt: Christus autem  
illos quoque à morte exuscitauit, qui multa ante  
illum secula, mortem obierant. Quis loquetur  
potentias Domini, auditas faciet omnes lau-  
des eius: per mortem facti sumus immortales.  
Hæc crucis sunt stratagemata.]

Bellissime verò in hanc rem cadit quod  
Anastasius Sinaita 7. Hexaem. sub finem, citatis  
5. Ambrosio atque Pyrrone affirmat; nempe  
Christum nouitatis suæ die quadragesima, in-  
gressum esse paradysum, sicut Adam post diem  
40. iuxta Hebreos ingressus est terrestrem pa-  
radysum Sed omnino excellenter in fine libr.  
XI. & calce totius operis, admonet agens de  
Eua oportere aduertere [Quomodo hæc spiri-  
tualis coniux Secundi Adami, à deterior no-  
mine profecit in melius. In principio enim,  
vocata est *casta*, & secta diuisa: significante, vt  
arbitror hac amputatione & diuisione, defe-  
ctionem à Deo quæ erat ei aduentura. Deinde  
post hoc ædificata, & in melius excitata, pro-  
pterea quod ad virum Christum appropin-  
quarit, appellata est *mulier*. Postremo autem  
omnium, appellata est *vita*; vt quæ à morte  
profecerit ad vitam. Vir autem, eius non ita,  
sed ex meliori nomine accepit peius. In pri-  
mis enim Adam, magnum honorem & glo-  
riam est adeptus, vt qui sit appellatus *Imago*  
& *similitudo Dei*. Deinde postea appellatus  
est *homo*, & postea rursus *Adam*, & postre-  
mo omnium *terra*, vt per hæc aperte discamus  
& erudiamur, quæcunque sunt in protoplasto,  
referre ad Euam Ecclesiam, & Adamum Chri-  
stum. Sic enim cum in principio esset splendor  
& character substantiæ ipsius Dei inaspecta-  
bilis, se ipsum exinaniit serui formam accipiens  
vt Ecclesia ex mendicitate dicetur vita, id  
effecta, & ex ipso nominata, & in libro viuen-  
tium Collocata.]

*Quam resecta sapientia, sic facta  
recapitulatio.*

110 Eam reducendi ad pristinum statum  
hominis rationem verè nouam, & contrariam  
è contrariis eruendi industriam, suscepisse An-  
gelos, hancque esse multæ formæ Dei sapien-  
tiam, quam Apostolus ait innotuisse Angelis  
per Ecclesiam seu Christum tradit luculenter  
Gregor. Nyssenus hom. 8. in Cant. [Reuera  
(inquit) per Ecclesiam portatur ad supra mun-  
danas potestates, varia & multiplex Dei sa-  
pientia, quæ per contraria res efficit magnas  
& admirabiles Quomodo enim facta sunt vi-  
ta per mortem, & per peccatum, iustitia, & per  
maledictionem benedictio, & per ignominiam  
gloria, & virtus per imbecillitatem? Nani in  
prioribus temporibus solam simplicem & vni-  
formem Dei sapientiam, nouerant supramun-  
dana potestates, congruenter suæ naturæ fa-  
cientem miracula. Nec in iis quæ cernebantur,  
erat quicquam varium, in eo quod cum esset  
virtus ac potestas, natura diuina, liberè om-  
nem faceret Creaturam solo motu & impul-  
su voluntatis, & rerum naturam deducens ad  
generationem, omnia faceret valde pulchra  
manantia.]



manantia ex fonte pulchritudinis. Varium autem hoc ac multiplex genus Sapientiae, quod constat ex connexione cum contrariis, nunc aperte ostensum est per Ecclesiam; nempe quemadmodum suo liuore suisque vibicibus nostra sanauit vulnera: quemadmodum imbecillitate Crucis vires expugnat aduersarij, quemadmodum in Carne manifestatur, id quod non cadit sub aspectum, quemadmodum redimit captiuos, cum ipse sit qui emit, & sit ipse pretium: se ipsum emit dedit pro nobis morti pretium redemptionis: quemadmodum & est in morte, & a vita non recedit: quemadmodum & miscetur seruituti, & manet in regno. Nam cum haec omnia, & quae sunt huiusmodi, cum sint varia & multiplica per Ecclesiam didicissent amici Sponsi, cordificati sunt ut quod alium diuinæ sapientiae characterem animaduertent in mysterio.]

*Concluditur quod penes recapitulationem per antitheses, Christus dictus sit noua creatura, & adolescens secundus.*

211 En igitur Christum nouam creaturam Dei, es germanissimum modo quem referebam, nempe ob contrapositionem cum primo homine, & veteri creatura. Vocatum his de causis Christum Ecclesiasticus 4. *adolescens secundum* notauit Olympiodorus ibi. Locus est pulcherrimus de Regis senis fatui, hoc est principis tenebrarum qui ad eam diem mundo imperat, deiectione per puerum sapientem & pauperem; hoc est Christum nostri causa pauperem factum, qui ibi *puer* dicitur, id est iuuenis. Nam eadem vox Hebraea *seled*, eiusdem libri c. XI. expressa latine est per vocem *iuenis*, in illo loco; *latere iuuenis in adolescentia sua*. Hunc iuuenem & adolescentem secundum, cunctos viuentes qui ambulabant sub sole secutos, proficitur sapiens. Omnia ista pulcherrime ad Christum ex Origene & Victorino aptat S. Hieronimus ad hunc locum. Et pulcherrime quoque S. Ambrosius l. de institut. virg. c. VII. ut infra referam, tractans Christi regnum. Sed quod huic loco est accommodatum, non aliud est quam denominatio *adolescens secundus*, tributa Christo. *Adolescens* ergo primum, Olympiodorus ait fuisse Adamum, cum adhuc fortis & vegetus esset, ante lapsum. Christus vero Adamo inueterato suffectus, dicitur *adolescens secundus*. Verba Olympiodori, in secunda expositione huius loci sunt ista. [Adolescens secundus, procul dubio saluator noster est, homo de caelo coelestis qui nobis natus est ac surrexit pro adolescente primo, Adam qui fuit homo de terra terrenus]. De relicto per Adamum hunc secundum Patre aeterno, & matre Ierusalem coelesti, ut adhereret uxori suae cui sociatus est, egregie ex Gregorio Nazianzeno S. Hieronimus in c. 5. ad Ephel. & nos infra summa de Christo sponsi.

*Recapitulatio alia ex Anastasio, in istam recidens.*

212 Aliam recapitulationem omnium in Christo, ratione cuius Christus *noua creatura* sit dictus, videri potest suggerere Anastasius Sinaita, in praefatione Hexaemeri. [Ab ipso (inquit) Deo, vniuersorum effectore, effecta sunt duo officia. Vnum quidem quo produceretur homo, & ut semel dicam, res omnis creata. Alterum autem quo bene esset, & homo & vniuersa res creata, Omnia enim quae sunt in caelis, & in terra, Deus prius construxit in Sapientia, ad eius figuram, & priorem descriptionem. Et quod statim a prima voce & effectione, eius fundamenta & structuram, & apparitionem, & illuminationem praemeditabatur, & prius describebat, & per primum caelum, & secundum, & quae sunt in ipsis luminarijs; nec hoc solum, sed etiam per ipsum solem & lunam, & terram, & aquas, & plantas, & pecora, & volucres, & pisces, & ut semel dicam, per omnem creaturam caeli & terrae, Christum qui in ipsis & per ipsam loquitur praedicat, & magnifice commendat. Haec dicens Ecclesia, exultat & letatur, gessit & illuminatur, & aduersus infideles, valens ac robusta redditur, vel potius armatur, eos conuincens, dedecore afficiens, vincens, exiliens, & tripudians, siquidem vniuersa quae cernitur & intelligentia percipitur creatura, ad eius Imaginem & Sponsi sui Christi, primis constructa fuit & praeparata. Hoc est enim mysterium, quod ante saecula & a generationibus prius definit Deus, & praedestinavit. Vnde etiam dicitur, Deus, omnia in Caput redegit, & instaurasse in Christo. Quid est in Caput redegit, & instaurasse, quam ea quae rationibus in ipso prius erant figurata & adumbrata, re ipsa factis, in ipso esse impleta: *Omnia enim* (inquit) *per ipsum & in ipso Christo facta sunt: iam quae in Caelo*, quam quae in terra visibilia & inuisibilia, siue throni siue dominationes, siue principatum & potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Dei loquus autem Apostolus, dicens omnia & visibilia & inuisibilia in Christo esse creata, aperte ostendit & docet, quod ipsa etiam inuisibilis Creatura prius figurata & facta fuit in Christo & Ecclesia. Et illustrissime in eadem sententiam, initio libri, qui 7. inscribitur cum sit 8. de duplicatione diuini nominis disserit post hanc creationem.

213 Hanc tamen Anastasij recapitulationem, recidere in eam quae a nobis proposita est quantumuis diuersa videatur intelligitur ex iis quae eodem libro subdit, non ita multo post cum ait. [Est attentè animaduertendum, quod a quo die ad Imaginem factus est homo, nempe prototypus Christi typus Adam, non est amplius Deus aliquid fabricatus per ipsum: neque de cetero dixit, *fiat hoc*, & illud, sed suo per se & diuino opere operando secundum specificationem: proprie & vere & citra ullam dubitationem diuina praedicente scriptura, Dei verbi aduentum & praesentiam quae fuit a caelo in terram, & in ea quae est in secundo ordine creaturarum breui repetitione, nos docentes, quod videbitur Deus Deum



# Christus, gratia & misericordia Dei. 95

apud nos super terram, & per se suo opere & suis manibus fabricabit nouam Creaturam, nouum calum, & nouam terram & nouum ex non seminata terra non seminatum hominem. Quem quidem nobis prius significans diuina Scriptura, & duplicat creaturæ & hominis constructionem, & narrationem; hinc ponens pricipium.]

## vsus doctrina.

Fruum doctrinæ de Christo nouo homine, accipe ex Origene hom. 16. in Leuit. in fine. [Vide quatenus benedictiones promittantur, si mandata seruemus: *Struam, inquit, testamentum meum vobiscum, & manducabitis vetera, & vetera veterum, & eliciesis vetera à conspectu nouorum.* Quomodo eiicimus vetera à conspectu nouorum? Vetera habuimus, legem & Prophetas, vetera autem veterum, ea quæ ante legem fuerunt ab initio, cum mundus factus est. Venerunt Euangelia noua, venerunt & Apostoli. A conspectu horum, eiicimus vetera. Quomodo ea eiicimus? Legem secundum litteram eiicimus, vt statuamus legem secundum spiritum. Possimus & hoc modo dicere. Antequam veniret homo de celo, & nasceretur homo celestis, eramus omnes terreni, & portabamus imaginem terreni. Sed vbi venit homo nouus, qui secundum Deum creatus est, eiicimus à conspectu eius vetera, deponentes veterem hominem, & induentes nouum, qui secundum interiorem hominem renouatur de die in diem.]



## CAPVT VII.

### Christus, gratia Dei, eiusque misericordia.

**I** Vxo hæc duo, quod eodem reuocata recidunt, vt ex sequentibus perspicuum fiet: quamuis quod vtraque Christi prerogatiua sub diuersis his vocibus apud Patres & in Scripturis exprimitur, seorsim intra idem caput de vtraque sit dicendum, initio facto à gratia.

*Christus, gratia substantialis, quæ apparuit omnibus hominibus, & sine Deo gustauit mortem, iuxta Apostolum.*

Gratiam Christum, agnoscit S. Hieronymus in cap. 2. epistolæ ad Titum, tractans illud, *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri.* Eam enim gratiam Dei Saluatoris, S. Hieronymus licet fateatur posse exponi de gratia per Christum collata hominibus, tamen admonet posse quoque accipi de gratia quæ sit ipse Deus Saluator noster, eo quod Dei Patris, viuens & subsistens gratia, ipse sit Christus. Agnoscit quoque Christum Dei gratiam, Ecclesia vniuersa, quæ

ex hac causa Deiparam compellat *matrem gratia*: quam gratiam, Christum esse non aduer- tentes aliqui, eam Deiparæ allocationem in hymno Ecclesiastico & precationibus lyta- neuticis sunt calumniati, vt refert Richardus à S. Laurentio lib. 6. de laudibus Deiparæ ad illud, *in me omnis gratia*, eo ducti argumento quod solus Deus sit autor gratiæ. Sed elidit argumentum Richardus, dicendo eam gratiam cuius Deipara mater est, Christum esse: quæ ratione ea Deiparæ appellatio, subducitur cuius calumnia.

Profert in huius rei confirmationem Richardus, locum Apostoli Hebr. 2. vbi de Christo Domino sic dicitur; *Eum qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Ibi illud *gratia*, esse casum nominandi, atque adeo Christum designare, pronunciat autor prædictus. Nec dissentit D. Thomas lect. 3. ad idem caput, promens eam interpretationem ex D. Augustino. Eamque etiam habet Hilar. Diacon. ad hunc locum. Sic enim scribit. [Ipsum gratiam nominat, qui pro omnium salute gustauit mortem. Non enim debebatur nobis, vt filius Dei pro nobis gustaret mortem, sed gratia hoc fecit.] Et ita planè interpretari coguntur, quot eo loco Apostoli, vocem *gratia*, censent esse casum nominandi; quod tamen plerisque Græcis codicibus dissonat, qui nunc legunt *Christi Deus* quomodo etiam legit D. Chrysostomus & Theophilactus; tamen consentit cum aliis plerisque Græcis codicibus qui legunt *Christus*, quam lectionem agnoscunt DD. Græci non pauci. Lectio vulgata quæ sola est authentica, neutri Græcæ lectioni præiudicat, quia nomen *gratia*, potest & in auferendi, & in nominandi casu accipi; ac proinde ex ea non colligitur vtræ Græcæ lectioni sit magis probanda.

215 Ex nostra tamen vulgata, corrigendum est, quod antiqui quidam Græci codices aliter legebant nempe *Christus Deus*. Vnde factum est, vt aliqui latine id expresserint *sine Deo*. Quo pacto legit S. Ambrosius 5. de fide cap. 4. & Theodoretus ad hunc locum, ac etiam S. Fulgentius lib. 3. ad Trasim. cap. 20. Sensum verò esse ait S. Ambrosius, gustatam esse à Christo mortem temporalem pro omnibus; excepto solo Deo: ita vt etiam insensibilia ex Christi morte profecerint, liberando per eam à seruitute corruptionis. Theodoretus verò id restringit ad rationalia, non exclusis Angelis, quibus Christi mors profuit ad læticiam, ob congregatos in vnâ Rempublicam sub Christo Rege Angelos & homines. S. Fulgent. nihil moratus quibus profutura dicatur mors Christi, refert verba illa *sine Deo*, ad passionem solius carnis, Deo in sua diuinitate, à carnis perpeffionibus immuni. Qui omnes sensus pij sunt, longèque absunt à sensu Nestoriano, quem Oecumenius ab hæreticis huic lectioni *Christus Deus* in adificationem refert, qui Christum *sine Deo passum*, referebant ad Christi suppositum à diuino diuersum; indeque duplicem Christi personam inferebant. Sed planè contra Apostoli mentem, etiam supposita lectione illa, quam quod è vulgata latina dissentiat, non habemus pro legitima.

N

tina.



tima. Sanè Vigilius lib. 2. contra Eutychem, cum voluisset Nestorium eo Apostoli loco abulum, illudque *sine Deo*, ad alteram Christi patientis, alteram Dei non patientis personam retulisse; ramentis eam qua Nestorius abutebatur loci Apostolici lectionem, ratam habet, legitque ipse quoque *sine Deo*: Tamen sensum Apostoli esse docet, Christum eundem Deum & hominem sola carne passum esse; Et post longam in ea veritate confirmanda expatiationem, concludit. [Quid est igitur *sine Deo gustare mortem*? nisi quia Verbum Immortale est, & passio secundum carnem est: unde & Petrus Apostolus ait; *Christo itaque passo carne*. Passio ergo propriè ad carnem pertinet secundum naturam. Ad Verbum autem secundum personam, quia & Verbi & carnis vna est eademque persona; ac per hoc Deus & passus est, & non est passus: passus secundum unionem personæ, impassibilis secundum proprietatem naturæ.] Pulchrè item Fulgentius cap. illo 20. [Non hic Christum diuisit Apostolus, sed ostendit in vno Christo, quæ substantia passibilis & mortalis fuerit, quæ autem immortalis, impassibilisque permanferit. Sine Deo igitur homo ille gustauit mortem, quantum ad conditionem attinet carnis; non autem sine Deo, quantum ad susceptionem pertinet Deitatis: quia impassibilis atque immortalis illa diuinitas, cum in veritate formæ seruilis, & pati voluntariè pro nobis dignaretur & mori sicut in morte solius carnis, immortalis fuit, sic in passionibus totius hominis, impassibilis omnino permanfit.]

Nihil ergo Nestorianæ perfidie in ea Apostolici loci lectione præsidij est, quàm quod è Nestorianis confictum ait Oecumenius, ad mitti non debet; cum anterior Nestorio D. Ambrosius eam vsurparit, vt vidimus. Et ante Ambrosium quoque, receptam apud aliquos fuisse, docent illa verba Origenis tomo 1. in Ioan. ad illud *in principio*, cum explicat quomodo Christus sit magnus Pontifex. Sic enim scribit. [Magnus est Pontifex, non modò pro hominibus, sed etiam pro omni quod rationis est capax, hostiam semel oblatam seipsum offerens. *Sine Deo enim, vel per gratiam Dei*, (vt in quibusdam exemplaribus Epistolæ ad Hebræos ponitur,) *pro omni gustauit mortem*: siue *sine Deo pro omni gustauit mortem*, non solum pro hominibus mortuus est, verum etiam pro ceteris rationis capacibus; siue per gratiam Dei, pro omni gustauit mortem: pro omnibus sine Deo mortuus est. Per gratiam namque Dei, pro omni gustauit mortem.] Est ergo prædicta lectio loci Apostolici, multo antiquior Nestorio. Quamuis autem latina illius loci lectio vulgata, optimè cohæreat cum præsentis scopo nostro, possitque in ea vox *gratia*, sumi in casu nominandi & Christum designare: tamen ne loco ambigua lectionis inniti dumtaxat videamur ad hunc titulum Christo

tribuendum, alia quædam loca, expendenda sunt.

\*\*\*

*Idem factus gratia, & gratia data pro gratia, Ioan. 1.*

216 Accipere in hunc sensum videntur nonnulli Patrum, illud Ioannis 1. vidimus gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. S. namque Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. duobus illis extremis verbis, duas Christi naturas expressas censet; nempe diuinam voce *veritatis*, est enim Deus ipsamet veritas. Vnde Christum esse *veritate plenum*, idem censet esse S. Fulgentius, ac si dictum fuisset, Christum esse plenè & sine vilo defectu, Deum verum; humanam verò Christi naturam, designatam censet S. Fulgentius verbo *gratia*, qua plenus dicitur Christus, quia in humana natura in qua homo verus, gratia factus est, plenus est. Vbi correspondentia membri secundi ad primum, postulat, vt vox *gratia* sumatur in casu nominandi; ita vt sicut Christus in se erat veritas ab æterno quæ Deus, sic in tempore quæ homo, dicatur factus *gratia*.

Existimari verò idem ferre locum ex eodem cap. 1. Ioan. quo Baptista Christo testimonium perhibens, & omnes de plenitudine eius accepisse professus, addit, & gratiam pro gratia. Non me latet, quàm variè & Patres & interpretes, accipiant eam gratiam pro qua nobis data est gratia. Et nonnulli quidem, gratiam noui testamenti, substitutam pro gratia legis veteris existimant. Erat enim lex quoque vetus, gratia quædam sed cum ea locutio admodum insolens videatur in scripturis, moxque lex contra distinguatur gratiæ, cum subdit Ioannes, *lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est*; manifestum videtur, eam expositionem non quadrare. Alij gratiam pro gratia, dici putant, vitam æternam repositam pro meritis ex gratia profectis. Nam liquet vitam æternam ab Apostolo spectatæ radicè meritorum quibus paratur, gratiam petiisse nominari. Verum Ioannes de gratia agebat iam accepta. Ait enim, *de plenitudine eius omnes accepimus*. Non acceperat autem gloriam, sed tantum erat accepturus. Agit igitur de alia gratia iam collata.

217 Eam ego si agatur de gratia data & accepta, (Cartulianus lib. 2. de laud. Dei p. art. 1. vocat *gratiam gratiam*, & contraponit *gratia gratianti*.) censuerim esse gratiam sanctificantem, qua iusti per Christum facti sunt, quotquot coram Deo iusti fuerunt. Volebat enim Baptista, se præ Christo deprimeret, & quantopere Christo adereret, declarare. Cum ergo dixisset, Christum sibi meritò prælatum, subdit eius rei causam; quia & ipse, & quotquot ad eam diem fuerant Sancti, stillas sanctitatis & gratiæ de eius plenitudine acceperant, & gratiam pro gratia: quod quantum attinet ad gratiam acceptam, de gratia eos sanctificante, manifestè dicitur. Quantum verò attinet, ad gratiam pro qua data est hæc & Baptista & aliorum purorum hominum gratia seu sanctitas; etiam videri id possit cadere in gratiam Christi habitalem; tamen magis propriè accipi potest de gratia subsistente & viuente, quæ Christus est, vt ex S. Hieronymo, initio diximus. Nam gratia Christi accidentaria, non est fons gratiæ nostræ: alioqui



alioqui purus homo posset alteri mereri gratiam, quod constat falsum esse. Fons ergo gratiae puris hominibus collata, est Christus ipse, qui est gratia substantialis: & eatenus accepimus gratiam pro gratia, nempe pro Christo, qui Dei donum primum est, gratiam remissionis peccatorum, & sanctificationis. Bellèque cum hac interpretatione consentiunt verba sequentia. Subditur enim, tanquam ratio, cur dictum sit datam esse gratiam pro gratia; *lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* En per quam gratiam, facta sit gratia quam accepimus; & pro quo gratia, data sit omnibus gratia. Vtique per Christum, & pro Christo, per quem factam esse gratiam, continenter subiicit Baptista. Vide verò an non id ferant verba illa Clementis Alexandrini 2. paedagogi cap. 7. (lex est vetus gratia, per Moysen à Verbo data. Quocirca dicit quoque Scriptura; *lex per Moysen data est*: Non à Moysen: sed à Verbo quidem, verum per Moysen seruum suum. Et ideo fuit ad tempus. Aeterna autem gratia & veritas, per Iesum Christum facta est. Videte verba Scripturae; de lege quidem, *data est*, (inquit,) tantum. Veritas autem, quae est gratia Patris, est aeternum. Verbi opus: & non dicitur dari, sed per Iesum fieri, sine quo factum est nihil.]

Ad idem aptatus Thronus gratiae,  
apud Apostolum.

218 In eundem sensum Gerſo i. p. sermone de circuncis. Domini, habito coram Papa apud Tarasconam, accipiendum censet illud Apostoli, *accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae.* Eum namque *thronum gratiae*, ait Gerſo esse ipsum Christum, per quem gratia facta est, & quem ait aequè dici posse *gratiam*, ac à Platone dictus est *misericordia*; verbis illis *Dei mei, misericordia mea.* [Et quid est (inquit,) misericordia, nisi gratia?] Vt verò sumendum sic est Apostoli locus, pulchrè omnino ut paulo post ostendat, quomodo gratia Dei apparuerit in Christi aduentu, quod Apostolus ad Titum 3. affirmat, considerandum proponit Gerſo, idcirco Verbum factum esse hominem, ut contrariis per contraria mederetur. Quia enim per superbiam prorsus horrendam, mortales plerique affectant audire Dei, & incommunicabile nomen stercorei & simo arroganti; Deus vique eo se demisit, ut qui non rapinam arbitraretur esse se aequalem Deo, exinaniri voluerit, & habitu inueniri ut homo, ne dedignaretur mortalis homo, affectari humilem Deum. Similiter quia auaritia omnium malorum radix, & turpissima idololatriæ fons erat, Christus liberalitate sua, & preciosissimarum opum, sanguinis inquam & vitae profusione, cupiditati nostrae fecit latis, Gula in genus nostrum mortem iniecerat. Et hanc curauit Christus ieiuniis suis, & iugi cibi ac potus paritate. Eadem peccatorum omnium est ratio, proportionem seruata. Quia verò specialiter laborabant homines teterrimo ingratitudinis vitio, aduersus ingratitudinem nimiam, exhibuit Deus gratiam infinitam, Christum scilicet suum. Hæc est Gerſonis cogitatio; quæ congruentior & ac-

ceptior foret, si non ad medendum ingratitudini, cui gratitudo & gratiarum actio opponitur, sed ad remouendam elongationem à Deo qua vniuersum genus humanum pessimè afficiebatur, Christum substantialem gratiam, diuinitus prouisum affirmasset.

Christus non ex meritis, atque  
adeo gratia.

219 Rationem optimam denominandi Christum *gratiam Dei*, suggerit eam ipsam denominationem usurpans D. Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 11. Disputans enim de gratia Adami latiore, nobis autem necessaria potentior; subdit. [Et quæ gratia potentior, quam Dei Vnigenitus filius æqualis Patri, & coæternus, pro eis homo factus, & sine vilo vel originali vel proprio peccato, ab hominibus peccatoribus crucifixus? Qui quamvis die tertio resurrexit nunquam moriturus ulterius, pertulit tamen pro mortalibus mortem, qui mortuis præstitit vitam, ut redempti eius sanguine, tanto ac tali pignore accepto, dicerent, *si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non, & cum illo omnia nobis donauit?* Deus ergo naturam nostram, id est animam rationalem; carnemque hominis, Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili; vel mirabiliter singulari, ut nullis iustitiæ suæ præcedentibus meritis; filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, ut ipse & Verbum quod sine initio, vna persona esset. Neque enim quisquam, tanta rei huius & fidei cæcus est ignorantia, ut audeat dicere, quamuis de Spiritu sancto & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium benè viuendo, & sine peccato bona opera faciendo, meruisse ut esset Dei filius: resistente Euangelio atque dicente, *Verbum caro factum est*. Nam ubi hoc factum est, nisi in vtero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Itémque virgini requirenti, quomodo fieret quod ei per Angelum nunciabatur, Angelus respondit, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: propterea, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Propterea (inquit,) non propter opera, quæ nondum nati vtiq; nulla sunt: Sed propterea quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Ista natiuitas profectò gratuita, coniunxit in vnitatem personæ hominem Deo, carnem Verbo. Iam natiuitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt.]

Rectissime igitur Christus dicitur *gratia Dei*, quia neque suis propriis meritis effecit ut esset, neque vilius alterius putæ creaturæ meritis, (quæ Christum omnia supponunt,) adductus est Deus, ut Christum produceret: sed ex mera sua bonitate id præstitit. Eaque ex causa 10. Ciuit. cap. 29. agens contra Porphyrium, affirmat Christum esse summum exemplum gratiæ.



*Eandem ob causam, dictus misericordia,  
vel etiam misericordia.*

220 Hæc ipsa est ratio, cor Christus dicatur quoque *misericordia Dei*. Nam ut paulo ante ex Gerson dicebamus, quid est misericordia, nisi gratia? Et hoc sensu, Deiparam in hymno Ecclesiastico appellari *matrem gratie matrem misericordie*, quia mater est Christi, qui est ipsa Dei gratia, & misericordia, affirmat Amedeus Laulan. hom. 3. de Deip. *sub finem*. Dissertit in hanc sententiam, æqualis eius, & eiusdem instituti Cisterciensis auctor gloria, S. Bernardus serm. 1. de Purif. exponens de Christo in templo suscepto, verba illa *Psalmis suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*. Representans eleganter & solide, magnam generis humani miseriam, insignis diuine miserationis indignam; & antiquorum Patrum illos gemitus, *Domine in celo misericordia tua & veritas tua usque ad nubes*. [At ubi sanè minoratus est Christus paulò minus ab Angelis, factusque est Dei & hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificauit per sanguinem suum quæ in cælis sunt, & quæ super terram; ex hoc planè iam suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Eramus enim & nos natura filij iræ, sed consequuti sumus misericordiam.]

Hoc verò aliquatenus corrigit, aut potius perficit serm. 5. in Natiu. Dom. docens, genus humanum cum Christum suscepit, non modò misericordiam, sed & *misericordiam* esse consecutum: eoque refert, quod ab Apostolo 2. Cor. 1. Deus Christi pater, dicitur *pater misericordiarum*; & quod Threno. 3. misericordie Domini multæ esse dicuntur. Tum subdit. [Vnus est Dei filius, vnum Verbum; sed miseria nostra multiplex, non modò magnam misericordiam, sed & multitudinem querit miserationum. Fortè tamen propter substantiam duplicem qua subsistit humana conditio, cum sit vtraque tam misera, non incongruè duplex hominum dicatur esse miseria, licet sit multiplex in vtraque. Siquidem & corporis & cordis nostri tribulationes multiplicatæ sunt: sed ab vtriusque necessitatibus eruit, qui totum hominem saluum facit. Cum ergo vnus ille & vnus Dei Filius, & iam nunc venerit propter animas, tollere scilicet peccata mundi; & secundo propter corpora sit venturus, ut ea resuscitet, & configuret corpori claritatis suæ: non incongruum fortasse videbitur, ut in eo quod Patrem misericordiarum benedicimus, duplicem hanc misericordiam consiteamur. Sulciens enim humanæ naturæ corpus simul & animam, non modò semel *consolamini*, sed (ut supra quoque meminimus.) *Consolamini, consolamini dicit Dominus Deus vester*; ut vide licet certi sumus, quod vtrumque sit saluaturus, qui neutrum suscipere est dedignatus.]

221 Non nemo quoque, illud *Psalmis* votum ad Deum, *ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, non de salutari aliquo aut misericordia accidentaria, sed de substantiali, id est de Christo; est interpretatus: Nec incongrue. Nam totus ille *psalmus*, de mysterio Incarnationis est manifeste

conscriptus. Sicut ergo Christus interprete S. Ambrosio serm. 6. in *psalm. 118. v. 1.* est illa gloria inhabitans in terra nostra, & salutare Dei in quo misericordia & veritas obuiuerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt; itemque veritas orta de terra, & iustitia de cælo propiciens; sic etiam est misericordia Dei, quam ostendi sibi, & David & Patres antiqui omnes, incensissimis studiis affectabant. [Ipsè est misericordia, (ait citatum verticulum glossans S. Ambrosius) vtpotè remissio peccatorum. Ideò dicit: Ostende quem videre possit in corpore. Nam Deum in maiestate sua, videre non poterat, quia Deum nemo vidit vnquam. Audius Propheta desiderat videre, quem sperat tenere; quem si viderit, desiderat propriis manibus comprehendere.] Idem in *psal. 47.* ad illud *suscipimus Deus misericordiam tuam*, cum dixisset, hæc verba posse & ad Filium & ad Patrem dirigi, subdit. [Si ad Patrem refertur; quid est, in medio templi tui, nisi quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi? In illo ergo templo, *suscipimus*, (inquit) *misericordiam tuam*: hoc est, Verbum quod caro factum est, & habitauit in nobis. Sicut enim maior misericordia, quàm quòd pro nostris flagitijs se præbuit immolandum, ut sanguine suo mundum lauaret, cuius peccatum nullo alio modo potuisset aboleri? Etenim si de Sanctis viris Apostolus dixit; *Templum Dei vos estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis*; quanto magis carnem Domini Iesu, templum Dei exherim, qui semper plenus Spiritu sancto legitur, & ipse testificatur, dicens; *Sentio de me virtutem exisse*; quæ virtus omnium vulnera accensa sanabat.]

Tandem nec illud tametis exile, nec in speciem adeò genuinum, prætermittendum est. A Deo petere misericordiam, idem omnino est quod poscere regnum Dei, ut latè prolequitur Cabasilas in expositione Liturgiæ cap. 13. Sed neque hoc à Christo abhorret, quem dicit *regnum Dei*, infra liquebit.


#### *Vsus doctrina.*

Apparuit itaque in Christo gratia Dei & misericordia, ita ut nunquam obseruari nobis possit Christus, (& obseruari debet perperam) quin simul obuieretur nobis gratia, & misericordia Dei in nos. Vnde non modò ad gratiam in Deum, & misericordiam in egentes Dei tanta gratia vlt, imitatione; sed etiam ad omne opus bonum trahi nos, ut Apostolus methodo docuit agnoscamus. Apparuit (inquit) *gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem & saculoria desideria, seruiamus & iuste & pie viuamus in hoc saculo*.



## CAPVT VIII.

## Christus, Martyr Dei.

112  **M**NIS quidem qui veritati attestatur, martyr, seu testis haberi ac dici potest, ut obseruat Origenes tom. 5. in Ioannem ad illud, *hic venit in testimonium*, qua ratione bene multos Christi testes addens Pet. Damiani serm. de Epiph. Quin etiam Origenes ibidem obseruat ipsummet Deum in ea generalitate martyrem esse, quod confirmat ex cap. 44. Esaie, ubi Propheta in persona Dei sic loquitur. *Estote mihi testes, & ego testis dico Dominus Deus, & filius quem dedi.* Concludit itaque Origenes. [Quilibet testificatur de veritate, tum verbis tum operibus, quomodoque favens illi, is iure testis dicendus est.] Subdit tamen, hanc nimis latam vocis notionem; & communi usu Ecclesiae, restrictam esse aduersum genus testium. [Sed iam (inquit) fraternitatis morem, qui admiratione prolepti sunt, (nempe affectum eorum qui vique ad mortem certant pro veritate, vel fortitudine,) eos propriè solos nominant martyres, seu testes, qui sui ipsorum sanguinis effusione, diuini cultus mysterio testimonium reddidere.] Inter hos presè dictos Dei martyres, veritati reuelata morte sua attestatos, numerandus in primis est [Christus Dominus, de quo fuscè iam actum est in Tractatione de martyrio parte 4. cap. 4. Hic breuiter, & nonnullis aliis testimoniis SS. Patrum veritatem ibi traditam confirmabimus, & acceptionem nonnullam lucis, ad hoc Christi decus faciemus.

## Christus, Martyr, ex Patribus.

118 Christum itaque martyrem, (quod Patres lausisse dixit Pamelius ad lib. Cyprianum tributum de dupl. martyrio num. 5.) nuncupant quatuordecim Patres à nobis loco citato prolatis. Nempe Origenes, Cyprianus, Ambrosius, Nazianzenus, Ephrem, Augustinus, Maximus, Damascenus, Rupertus, Richardus Victorinus, & Seruus Dei Episcopus Afer. Quibus nunc addo hos paucos. S. Irenaeus lib. 4. cap. 5. quem locum descripsit S. Augustinus lib. 1. contra Iulian. c. 2. [Adhortatur Paulus, dicens non aliter saluari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia traxit ad se & viuificauit mortuos.] Constantinus Magnus orat. ad SS. cœtum c. 12. Christum nominat *martyrem*. Eusebius Pamphili, in Concilio 1. Nicæno (apud Alphonsum Pisanum lib. 2. Conc. Nicæni pag. 124.) disputans cum Phadone philosopho, hæc verba habet. [Factus est homo propter dispensationem: propter ipsum prophetæ, propter ipsum Apostoli, propter ipsos martyres, Prophetæ propter eum qui dispensatorie missus, & Apostolus factus est. Martyres propter eum,

dem protomartyrem.] Similiterque Gregorius Nazianzenus præter loca annotata citato capite, disertè orat. 39. enumerans multiplici baptismi membra, quarto loco proponit illud quod martyrio & sanguine comparatur, quo ipse quoque Christus baptizatus est. Vbi Nicetas notat alludi ad illa Christi verba de sua passione, Marci 10. *potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor baptizari.* Et ad illud Luca 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo conor vique dum perficiatur.* Nominibus autem calicis & baptismi, designari in scriptura martyrium, res est vulgatissima. Et ratio peti potest ex Origene tract. 12. in Marth. & ex S. Maximo hom. 1. de S. Cypriano, Idem Nazianzenus orat. 6. ait, [martyres etuore purgatos Christi sacrificium sibi imitandum proposuisse.] quod planè est Christum agnoscere martyrem, cum aliqui passim dicuntur martyres, non nisi ex Christi imitatione statuuntur martyres. Disertè S. Chrysostomus homil. 1. de ieiunio, paucis illis verbis. [Martyr pro illo fias, qui pro te Martyr factus est.]

Eadem perspicue S. Paulino mens fuit, epistola 12. cum Christum Sanctum sanctorum, Dominorum Dominum, & *martyrem martyrum* nominat: nisi quod rationem reddens illius appellationis, significat testimonium à quo Christum appellat martyrem, non perhiberi Deo sed martyribus ipsis. Sic enim scribit, reddens rationem collocandarum reliquiarum SS. Martyrum Fundis, in Basili vita, (ita enim homo ubique humilis appellat,) abs se fundata. [Hanc quoque basiliculam, de benedictis Apostolorum & martyrum reliquiis sacri cineres in nomine Christi Sanctorum sancti, & martyrum martyris, & Dominorum Domini, consecrabant. Ipse enim Christus testatus est, se vicissim confessorum suorum confessionem futurum.] Hoc tamen non obstat quominus denominatio martyris Christo tributa à S. Paulino, deducta potius sit à testimonio quod Patri reddidit; etiam si ratio consecrandi in Christi nomine sub martyrum honore ad eam factam, ducatur ex claritate martyribus à Christo promissa, quæ ab ipso Christo exhiberi videtur, cum templis in eius vniuersi honorem consecrabilibus, adscribi suorum martyrum nomina, ratum habet, ad conciliandam eis gloriam: & ut eo muto testimonio linguis omnibus vocatione, prodar quanti apud eum sit confessio martyrum, coram hominibus generosè obita.

Aspiratur S. Bernardus serm. 47. in Cant. vestigans diuersas rationes cur Christus dictus sit *flos campi*, hanc habet præter ceteras, quod flos sit martyrium; nec flos horti sed campi: nam flos in campo, expositus est transeuntium manibus, ac si lubeat conculationi. [Igitur benè (inquit) in campo martyrium, dum martyres ludibrio omnium exponuntur, spectaculum facti hominibus & Angelis. Nonne illorum miseranda vox est in palmo, *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subseruatio & illusio vis qui in circuitu nostro sunt.* Mox hæc ad Christum accommodans, addit, [Christus flos campi, martyr, martyrum corona, martyrij forma. Denique foras ciuitatem eductus est, extra castra passus est, in ligno eleuatus est, spectandus



hominibus, subannandus ab hominibus.] prosequitur longa oratione causam cur Christus se florem campi dixerit, non florem horti, quod poterat sibi tribuere ob purissimam natiuitatem in horto concluso: & aequè se dicere poterat, florem thalami, ob ipsos ubi in thalamis assolet, bonorum operum flores, in omni loco ac tempore. Causam igitur præ electæ denominationis illius, *egros campos*, refert S. Bernardus ad expectationem martyrij Christi, quod celebrari, & vel ipso suo nomine ingeri oculis nostris, desideret; ut virgemur ad imitandum, eiusque exemplo pugnandum in campo; & martyrium saltem incruentum obire provocemur. Rupertus lib. 7. in Genes. cap. ultimo, lapidem positum in titulum à Iacobo simul & Labane, cui superaggestus est lapidum acruus in testimonium, interpretatur Christum, martyrum principem, cui superstructi sunt martyrum aggeres. Nec dissimiliter symbolum veteris Ecclesiæ Alamannicæ, hæc præter cætera habet de Christo, quibus martyr celebratur. [Credo martirizatum esse, cruci affixum, in eaque mortuum.] Extat tomo 2. antiquit. Alamannicarum. Altissimodorensis quoque, Christi martyrium confirmat ex sensu vniuersalis Ecclesiæ, quam ait sic canere in antiphona de martyribus. [Filiæ Hierusalem venite, & videte martyrem Christum cum cotona,] itaque Christum esse martyrem dilectionis summæ, qua Deus Pater mundum dilexit. Id enim Christus orbi attestatus est. Ita Allisiodorensis l. 3. summæ tract. 7. c. de fortitudine q. 2.

*Et ex ratione.*

230 Frustra in conquirendis pluribus huius veritatis testimoniis, operam perderem; cum ratio potentissima eam manifestè stabiliat. Martyrem enim præse ac propriè vocamus, qui veritati reuelatæ attestatur & pro ea confessione, vitam ponit. Vtrumque enim necessarium est ad verum martyrium. Nam si quis innocens damnetur per calumniam, poterit quidem ea mors excepta patienter, magni meriti esse sementis; non tamen ad conciliandum veri martyrij decus sufficiet. Si quis item pro veritate philosophica, etiā morali, nulla intermissa reuelationis supernaturalis mentione, mortem oppetatur martyr nequaquam erit. Mortis denique expers perpassio incommodum pro veritate reuelata, etiam si ad martyrij veri præludium sit satis, non tamen ad consummationem: eamque veri & præse dicti martyrij rationem, quæ sita est in conuehenda martyrij portione gratiæ sanctificantis ex opere quasi operato, huc ultra mensuram gratiæ dispositionibus quatenus actibus bonis ac meritoris rependendam, & iure ad gloriam ei gratiæ commensam, ac prærogatiuam specialem laureolæ. Potest autem ea mortis ob veritatem reuelatam exceptio, vel ab hoste Christi inferti vel à causis naturalibus immitri, inter exercendum opus Deo gratum ex Christianis regulis; non ignorando quid ex eo reuelatæ virtutis opere, tunc immineat. Id enim est attestari veritatem reuelatam, & pro ea aequè occumbere, ac si mors ab hoste inferretur. Proindeque Deo non minus probatur, nec minus præmio dignum vide-

tur. Actum de ea re est plenè tota parte 3. operis de martyrio, ubi probatum est, & ex perantiquo Ecclesiæ sensu ac Doctorem iustitias & rationibus solidè confirmatum, eos qui ex Christiana charitate proximis peste contactis iuuandis immoriuntur, esse verè ac præse martyres. Quam non quidem nostram, sed à nobis tamen non indiligenter expositam opinionem, grauissimis Doctores, & hic in Gallia, & in Italia, Hispania, Germania, Belgio, quorum penes me sunt testimonia verbis amplissimis collaudatam, quispiam Lyfiscæ appetit, sed veritati tutela non desuit.

Iam verò nihil eorum quæ ad veri ac præse dicti martyrij rationem postulari diximus, Christo defuisse, perspicuum est. Non siue vulgatum martyrij titulum attendamus, mortem scilicet pro veritate reuelata à fidei hoste illatam, siue exceptam pro charitate in proximis, uterque splendidissimè in Christo micuit. Sanè illatæ à Iudæis Christo mortis, quantum est ex malignitate Iudæorum ea fuit causa primaria, quod se Christus diceret filium Dei, eique aequalem; qua nulla est inter Christianas veritates sublimior, nulla ad fidei martyrium accommodatior. Martyrij verò charitatis illustrissimum exemplar Christus fuit; quandoquidem non ad vnum aut alterum hominem extremæ cladis subducendum vitam prodegit; sed iacentem & miserabiliter prostratam vniuersorum hominum massam, factus ipse perspicua, eripuit de interitionibus eorum, qua nullam cogitari posse maiorem charitatem, certum est ex eiusdem Christi oraculo.

231 Fuit igitur Christus verè ac propriè martyr. Et quanquam gratiæ ex opere operato per mortem accipiendæ capax non erat, eo quod plenus esset gratia ab initio, nec ei plenitudini adici quicquam progrediente tempore dignitas Christi pateretur: Tamen id totum in Christo fuit, vi cuius supposita diuina promissione, accessit martyribus gratia, cum ventum est ad certum temporis articulum sub mortem: ita ut si non stetit per Christi dignitatem, & præcessisset diuina lex quæ ab ipsomet Christo pro aliis martyribus posita est, debuisset ei ex opere quasi operato conferri gratia, eique respondens gloriæ essentialis accessio: cum libera mortis exceptio ad obsignandam veritatem reuelatam, quæ est tota ratio conferendæ martyribus gratiæ ac gloriæ martyrio propriæ, habuerit in Christo locum, nec ea præmia exclusit à Christo, defectus illorum quæ sunt ex parte subiecti requisita, ut obtingat remuneratio: sed vberritas secundum regulas æternæ sapientiæ incapax clementi, seu noui præmij. Vnde nihil derogari dignitati perpassionis à Christo exceptæ, eiusque feracitati ad gratiam & gloriam nouam subiecto idoneo conuehendam, perspicuum est. Quod tamen aliqui, sicut gratiæ & gloriæ essentialis martyribus propriæ mensuram Christo negamus; ita & aureolam (quam vocant, ei negandam contendunt, improbauius p. 2. opus de martyrio cap. 6. num. 33. Argumentum quo ineptus quidam concionator referente Turrianus dispp. selectarum parte 2. disp. 3. dub. 4. negauit Christum esse martyrem; nempe quod Christus non sit mortuus pro fide cum ea ca-



cuerit; est argumentum ridiculum. Satis enim est, quod sit mortuus pro veritate supernaturali, & obiecto fidei nostræ, etiam si non suæ, reuera fide caruerit.

*Christus martyr pro omnibus.*

232 Nec verò quod vnum hactenus tradidi, vtrum dumtaxat est, fuisse Christum vere ac propriè martyrem; sed etiam præ alijs omnibus id decus est consecutus, vt merito S. Ambrosius in psalmo 118. serm. 5. v. 2. Christum nominet *magnum testimonium*, id est antonomasticè testem & martyrem sensus D. Ambrosij esse videtur, habere Deum plurima testimonia, id est plurimos testes. Nam & testimonium habet à rebus omnibus naturalibus, iuxta illud *non reliquit seipsum sine testimonio*. Omnia quippè creata attestantur diuinis perfectionibus. Testimonium item speciatim habet ab Angelis bonis, qui Deo famulantur in omni humilitate & subiectione. Sed & Angeli mali (studeant licet) coguntur testificari quia ipse est solus Deus, & solus Dominus, & deprehendi potest quotidie cum flagellantur, vt Tertullianus in apolog. & alij patres vrgent. Hominum Plerique vita & factis, nonnulli etiam voce, testimonium perhibent Deo. Non pauci, sed eximij, sanguine suo fuso, testificationem vocis obsequant, quos idcirco *ad testandum* testes vocamus, hoc *martyres*. Hæc tamen omnia minuta & exigua sunt testimonia, præ illo magno testimonio est Christus ipse.

Aicbam hanc videri mentem S. Ambrosij, cui concinit qui omnes alios martyres secundas victimas vocauit. Nazianzenus carm. de vita sua. Et sanè vt S. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 19. rectè perpendit, ea in parte singulariter fuit Christus, quod [nullus vnquam homo præter illum, Deo dedit quod aliquando necessitate perditurus non erat; aut soluit quod non debebat. Ille verò sponte patri obtulit, quod nulla necessitate vnquam amissum erat; & soluit pro peccatoribus, quod pro se non debebat. Quapropter ille magis dedit exemplum, vt vnusquisque, quod aliquando incunctanter amissurus est, pro se ipso reddere Deo, cum ratio postulat, non dubitet; quia cum nullatenus aut pro se indigeret, aut cogetetur, pro alijs, quibus nihil nisi pœnam debebat, tam pretiosam vitam, immò se ipsum, tantam scilicet personam, tanta voluntate dedit. Eaquè ex causa, Christum D. Anselmus iure anteponebat omnibus, qui ad honorem Dei; propter iustitiam aut virtutem, fortiter occubuerunt. Deinde nihil in Christo pendente vacauit à martyrio, vt rectè pronunciauit. Gul. Paris. lib. de legibus cap. 28. *ad finem*. Reuera enim & anima Christi suum subiit internum martyrium; quo prodidit sanguis præ angore effusus in ipso passionis vestibulo; & corporis partes omnes, suo quæque peculiari cruciatu vexatas, testimonium perhibuerunt veritati; ad quod se natum esse, & corporis lacernam induisse, ipse de se Christus professus est.

233 Nec verò in Christo dumtaxat cruciulmo spectandum est eius martyrium; sed

quod Petrus Damiani serm. XI. est de Annunc. Deip. rectè notauit, ab ipso ortu pannis vilissimis inuolutus, & præ sepio datissimo reclinat; iam ex tunc sanctissimis membris legem martyrij præfigebat. Quare consummatio quidem martyrij Christi, facta est in cruce; sed exordium martyrij, idem quod vitæ fuit. Rectissime enim auror Tractatus de passione Domini, apud Bernardum cap. 5. dixit [passionem, non illum diem vnum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi, crux fuit, & martyrium.] Et cap. 35. proposita effusione sanguinis Christi in circumsione. [Audiant (inquit) & intelligant, tam pueri teneri, quam puellæ; & frequenter eorum mentibus inculcet matrum Martyrium innocentis Iesu. Vnde & Esaias de natiuitate eiusdem Iesu Christi loquens; Puer (inquit) natus est nobis, & filius est nobis; cuius imperium super humerum eius; Crucem quam imperij nomine significauit, natiuitati statim adiungens; quia profectò à natiuitatis exordio, passio crucis simul exorta est.]


*Vsu doctrinæ.*

234 Nihil conuenientius ad obligandam hanc Christi martyrij expressionem, graui oratione Clementis Romani 5. constituit. c. 5. vbi ad martyrium adhortans Christianos, proponit exemplum Christi tanquam magistri. Nam & Christum, *martyr magistrum* nominat S. Irenæus lib. 3. cap. 12. Ad tanti ergo magistri doctrinam, auidè omnibus habuendam, hortatur in hunc modum Clemens. [Iustum est vt sit vnus quisque perfectus, sicut magister suus. At Magister propter nos verberatus est, blasphemias, & probra, magna tolerantia pertulit, sputis aspersus est, colaphis & alapis cæsus, & post verbera cruci affixus; aceto & felle potatus, & consummatus omnibus quæ scripta erant, dixit Deo & patri *In manus tuas commendo spiritum meum*. Quamobrem qui optat esse illius Discipulus, æmuletur illius certamina, imitetur illius patientiam.] Sic nimirum, qua ratione etiam in altissima Ecclesiæ paces est, incurrenti martyrij decora, generosi quique adipiscuntur.

Grauius S. Chrysostomus hom. 47. in Acta in mor. exponit quantopere imitatione anteriorum martyrum, atque adeò etiam Christi martyrum principis, obstringamur nos quoque ad martyrium, id est ad præstandum Christo testimonium; non tam voce, quam vita laudaret nominatim Beati Pauli martyrium, sue testimonium, tum subdit. [Tales & nos oportet esse testes, & non prodere ea quæ concredita sunt nobis. Non de solis dogmatis, sed etiam de vita loquor. Vide enim quid vidit, quidque audiuit. Testatur cunctis mortalibus, & nihil prohibuit illum. Et nos audiuius quod est resurrectio & innumera bona. Igitur debemus hoc testificari omnibus hominibus. Ac dicet quis, nonne testificamur & credimus? Quomodo, dum contraria agimus? Dic' oro mihi, si quis se diceret Christianum, deinde deficiens saperet Iudaica, numquid sufficeret testimonium illud? Minime. Nam ab operibus testimonium



testimonium quaerent. Ita certe & nostra est causa. Si dicimus quod resurrectio est, ac innumera bona; deinde etiam contemnimus ea, & indignè hac praesentia praeligimus, quis nobis crederet? Omnes enim animaduertunt non quae dicimus, sed quae operamur. *Testis eris*, inquit, *apud omnes homines*. Non apud domesticos duntaxat, sed etiam apud infideles. Testium enim est persuadere, non scientibus sed nescientibus. Fiamus igitur fide digni testes. Quomodo autem erimus fide digni testes? A vita. Insidiabantur illi Iudaei, insidiantur nobis passiones quae iubent non annuciare testimonium. Sed ne pareamus. Testes sumus à Deo missi. Iudicatur apud homines quosdam, Deus non esse Deus. Misit nos testificatos sibi. Testificemur & persuadeamus contententibus. Si non testificabimur, sumus & nos erroris illorum rei. Si autem saecularium negotiorum iudicio non suscipitur testis multis flagitiis notatus; multo magis hic, ubi de talibus rebus consideratur. Nos dicimus quod audiuerimus Christum, & crediderimus his quae annunciauit. Dicunt illi, ostendite hac per opera. Vita vestra contraria, testatur quod non creditis? Vultisne ut vsurarios auaros, & rapaces videamus? Ut lugentes, plorantes, aedificantes, omniaque agentes, quasi nunquam morituros? Si igitur quod moriamini non creditis, quare nihil certius, quomodo vobis credam testantibus? Sunt enim multi homines sic affecti, quasi nunquam morituri. Nam cum in longa senecta incipiunt extruere, quando mortem asfuturam putabunt? Non parua poena nobis quidem ad confessionem vocatis, sed testari non valentibus ea quae vidimus. Vidimus & nos oculis Angelos, & manifestius eis qui viderunt. Igitur testificabimur Christo. Etenim non illi soli martyres, sed etiam nos. Eapropter illi dicuntur martyres, quia quum iuberentur confiteri, omnia sustinuerunt, ut veritatem dicerent. At nos quando affectiones nostrae iubent confiteri, succumbimus. Aurum dicit, dic quod Christus non est Deus; Ne igitur audi tu, quasi Deum, sed contemne illius praeepta. Concupiscentiae malae, idem dicunt, sed tu ne persuadere: ita fortiter, ne etiam de nobis dicatur, *Deum confitentur scire, operibus autem negant*. Hoc enim non est testimonium sed aduersariorum. Et quod alij quidem negant, non est mirabile: quod autem nos qui ad confessionem vocati sumus, negamus, valde graue est, & onerosum.]



## CAPVT IX.

*Christus, Apostolus, siue  
Angelus Dei.*

<sup>235</sup> **A**postolatum Christi pro Patre, celebravit Paulus Hebr. 3. verbis illis. *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostrae Iesum, qui fidelis est ei qui fecit illum*. Ad quae verba, creditus Anselmus obseruat, meritò Apostolum tacuisse

in fronte huius Epistolae ad Hebraeos, solitam epigraphem, *Paulus Apostolus*. Quod enim sciret, Christum Hebraeorum Apostolum fuisse, non ausus est titulum sibi Apostoli, ad eodem Hebraeos, arrogare. Id quod Clemens Alexandrinus in libro Hypotyposeon ex Beato quodam Praesbytero refert, cuius hac verba descripsit Eusebius 6. hist. cap. 11. [Quoniam Dominus ipse, Apostolus Patris sui Omnipotentis ad Hebraeos missus fuit, Paulus quia erat ad gentes missus, modestè quidem, cum ad Hebraeos scriberet, se Apostolum Hebraeorum non inscripsit, partim propter honorem quem Domino Hebraeorum Apostolo tribuebat, partim ne cum gentium praeco & Apostolus esset, praeter officium, ad Hebraeos scribere videretur.] Et potuit etiam iuuare ratio quam ex se Clemens praemisera, nempe exacerbatio Iudaeorum in Paulum, ob quam nihil scribendo fuisse profecturus, si nomen suum & Apostolatam, inscripsisset fronti epistolae. Quamuis autem haec rationes, ex Pauli Apostolatu ad gentes, & Hebraeorum in eum exulceratis animis, admodum verisimiles sint; tamen nihil vetat, imo longè probabilissimum est, eam quoque aliam causam, petitam ex modestia Pauli & reuerentia in Christi Apostolatam intercessisse, ut Beatus ille Presbyter, & creditus Anselmus asseruerunt. Nec obscure insinuat in cognomine *Apostoli*, quod in actu signato tribuitur Christo in hac Epistola, ut obseruasse creditum Anselmum retulimus.

## Loca varia pro Christi Apostolatu.

<sup>236</sup> Ad hunc ipsum Pauli locum, Theodoretus in confirmationem Apostolatus Christi Domini, profert illud ad Galat. 4. *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*. Et eodem iure allegari possunt omnia loca, in quibus Christus se à Patre missum, profertur. Quod enim S. Chrysostomus hom. 5. in ad Hebraeos animaduertit, Paulus Christum *Apostolum* vocat, propterea quod missus est. Omnes ergo scripturae, quibus Filij à Patre missi proponitur, Apostolatu Christi astipulantur. Nec omittendum, elegans quoque testimonium ex 2. Cor. 5. ubi Paulus, datum ordini suo ministerium reconciliationis praefatus, subdit. *Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Dei exhortante per nos: Rogamus pro Christo, conciliamini Deo*. His verbis Paulus Apostolatam suam, & ceterorum omnium, pronunciat vicarium esse Apostolatam Christi, ut D. Chrysostomus homilia 11. ad eam epistolam expendit. Sic enim glossat proposita Pauli verba. [Misit filium Pater exhortari, & legatione fungi apud humanum genus pro se. Quoniam autem ille oculus abiit, nos legationem suscepimus, & pro illo & Patre exhortatur vos. In tantum honorat humanum genus, quod, & filium impendit, quamuis sciret occidendum, & Apostolos nos propter vos fecit: Et ita meritò dicebat, omnia propter vos. Igitur pro Christo legatione fungimur, hoc est, illius loco. Nam nos quae illius officij sunt, suscepimus. Si autem magnam tibi hoc esse videtur, audi & sequentia per quae monstrat, quod non solum pro illo, sed & pro Patre hoc faciant. Nam propter hoc & subdidit,



didit, tanquam Deo obsecrante per nos. Non enim per filium suum exhortatur solum, sed & per nos, qui filij opus suscepimus. Ne igitur puteris, (inquit,) quod a nobis rogemini; ipse Christus vos exhortatur & obsecrat. ] Optime quoque No. 1. in ad Rom. ad illud *vocatus Apostolus* sic est. ] Illi quidem ad fidem vique vocati sunt: ipse autem aliud quiddam conceditum est, nimirum Apostoli munus, res bonis infinitis exundans, gratis omnibus maior, ac dona omnia complectens. Quid enim amplius dixerimus quam id? Videlicet Christum quod nobiscum dum versaretur fecisset, hoc ipsum illis commississe; ac sic demum a nobis abiisse, id quod Paulus exclamans Apostolorumque dignitatem extollens, ait, *pro Christo legati sumus, tanquam Christo per nos consolante, hoc est, Christi vice.*

Si igitur quid dicuntur Apostoli, funguntur Apostolatu vice Christi, cuiusque sunt prolegati, Apostolum esse Christum, nemo non videt. Illud enim *pro* in scripturis, cum non designat causam finalem (vt sane eam non designat hoc loco,) adhibetur ad denotandum successorem vnius ad alium in eodem munere, quod ex Græco & Hebræo vsu confirmat recte Toletus in cap. 1. Ioan. annot. 51. Itaque verborum illorum *pro Christo legatione fungimur*, non est proprie sensus *missi a Christo sumus ad vos, vt tanquam legati eius tractemus ea quæ pasci sunt, vt conciliemini Deo*: sed sensus est, *succedimus in idemmet munus Christi*, ita vt sicut ille fuit ad vos legatus Patris atque Apostolus, ita & nos eadem in legatione & Apostolatu succedamus, cuiusque obeamus partes: quod est manifestè Christum statuere Apostolum.

237 Ertur quidem principaliter Christus legatus & Apostolus Hebræorum, vt proximè ex Eusebio & Clemente Alexandrino diximus: confirmantque illa Christi verba quæ in hanc rem ad cap. 2. epistolæ ad Hebræos profert creditus Anselmus, *non sum missus nisi ad oues quæ perierant domus Israël*. Concinunt item illa Pauli Rom. 15. *dico Christum lesam, ministrum fuisse circumcisionis, ad confirmandas promissiones Patrum*. Promissum enim antiquis Patribus fuerat, diuinus hic nuncius, qui diuina arcana eorum hominibus communicaret, & negotium salutis humanæ cum Patre mediator conficeret. Tamen quandoquidem Apostolorum tanquam Christi vicariorum, & ipsius Christi, idem est Apostolatus, æquè ac Episcopi & Vicarij idem est tribunal; Pauli autem & cæterorum qui gentibus veritatem Dei annunciarunt Apostolatus, transgressis finibus Hebræorum, ad gentes quoque peruenit; non immerito, Christus gentium quoque, atque adeo vniuersalis Apostolus confessionis nostræ audit.

*Error Nestorij circa Christi Apostolatum, depulsus.*

238 Hic verò cauendus est scopulus, ad quem Nestorius allisus est. Testatur enim S. Cyrillus lib. 3. penultim. cap. 1. Nestorium, Apostolatum Christi distinctionem supposito- rum ex quibus Christus compingatur, inædificasse. Refertque hæc ex eo præter cætera.

[Cum audiunt nomen Apostoli, ipsum Deum Verbum intelligunt Apostolum. Pontificis appellationem cum legunt, diuinitatem pontificem sibi fingunt, noua dementia specie. Quis enim Apostoli munus cum didicerit, non illico indicari hominem intelligat. ] Vides Nestorij in Catholicos lannas, eo quod iniuxi ei loco ex cap. 2. ad Hebr. quem supra protulimus, agnoscerent, Christum Deum simul & hominem, esse Apostolum confessionis nostræ. Id tamen optime ac verissime dictum esse, nec quod Nestorius blasphemabat, ex titulo *Apostoli*, siue *missi* illatum rectè fuisse, Christum esse purum hominem, sic conuincit Sanctus Cyrillus, proximè relata Nestorij verba confutans. [Igitur ne missum quidem esse, in hunc mundum ipsum Dei verbum asseris? Decepit ergo vt est consequens, homines suo ministerio vocatos, Beatus Paulus, ait enim: *Missi Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*; Conuincitur etiam tuo iudicio Beatus David, remere carnem contexuisse, & inseruabilia querere, dixit enim, Patrem qui est in cælis & Deum alloquens: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*. Quid autem dic mihi, nonne etiam ipse filius mentietur planè, cum dicit: *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*: Et iterum: *Ego ex patre exi, & veni*. Scribit etiam alicubi Beatus Ioannes de ipso: *Qui accepit testimonium eius, signauit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur*. Missum porro dicimus Dei Verbum, quod Apostolatus nomen & rem simul cum exanitionis mensuris haberet. Tu verò stulte formidas, & illi tribuere, & nomen & rem Apostolatus ac Sacerdotij, nescio qua de causa erubescis. ] Addit mox S. Cyrillus, Nestorium pugnare cum larvis, fingendo aut supponendo in verbis ex eo relatis, Catholicos tribuere nudo Verbo munus Apostoli aut Pontificis; quod neminem esse adeo attonitum vt asserat, contestatur: sed Verbo carne vestito, Christo inquam Deo simul & homini, id officij assignare Catholicos.

*Prior Apostolatus Christi notio, nexa missioni, spectans Patrem tantum.*

239 Habes germanum sensum Apostolatus Christi, spectando missionem Verbi ad nos, cui illustranda illud quoque attexo ex Athanasio, aut quouis alio autore sermonis de Deip. sub finem. ] Cum venisset plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Atque hinc annotandum, quod primum filius à Patre mittitur & tum demum nascitur ex femina, non quod primum nascatur è femina, & tum demum mittatur à Patre; sed primum eius missio à Patre est, ac tum denique succedit eiusdem natiuitas è femina vt quæ in verbis istis Apostolicis consentiant Propheta, qui filium referunt missum esse. Et primum in Elia, ipsius qui missus est, verba aucta. *Ego sum in primum, & ego sum vnus in æternum. & manus mea fundauit terram, & dextra mea stabiluit cælum*; & c. grediens



diens in tempore operationis coniungit dicens, & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius manifestum se ipsum per hæc declarans, quod ipse Deus, qui fecit cælum & terram, hæc dicat, & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius. Etiam per Zachariam loquens, oblectare, (inquit,) & letare filia Sion, quoniam ecce venio, & habitabo in mediis tui. Et defugient gentes multæ ad Dominum in die illa, & cognosces, quod Dominus omnipotens miserit me. Iam inde & ipse incarnatus de se ipso suis verbis confitetur: Missus sum a patre, (inquit,) & misit me pater, eadem multis sermonibus contestata reddidit. Ergo non ut homo missus est, sed ut Deus & homo, filius à Domino Patre. Quale etiam illud est, pluit Dominus à Domino patre, additum est à Domino: Quale quoque & illud est. Dixit Dominus Domino meo.]

Indubitatus Athanasius in calce orationis s. contra Arianos, pulcherrimè astipulatur, sic scribens. [Ex Verbi missione per Iesum, conjunctionem illam intelligi conuenit, qua Verbum cum Iesu Mariæ filio in vnam personam coaluit, cuius vocabuli tyymon, Saluatorem significat. Nihil autem aliud hoc dicto indicatum voluit, quam se Dei. Verbo coadunitum fuisse, dum ait. Qui misit me pater. Et à me non veni, sed Pater me misit. Unionem enim cum homine, quod hominibus indiuisibilis natura Dei per visibilem innotescere posset, missionem nominauit. Non enim Deus locum mutat nostro more, qui locis continemur, neque ad similitudinem nostræ paruitatis, præsentia Dei tota comprehensa intra carnem humanam latuit. Quomodo enim id fieri posset, cum cælum & terram impleat? Sed quia se in carne præsentem sistebat, idè sancti viri, vocabulo missionis uti voluerunt.] Denique sub finem orationis contra Sabellij gregales, grauitè refellit eos qui Verbum à Patre missum diffitebantur.

240 Sub prædicta tamen ratione, Christus non est Apostolus Dei, propt hoc nomen pro tribus diuinis personis supponit, sed tantum Dei Patris. Sub ea enim ratione ipsum Verbum est missum. At inter diuinas personas non est missio, nisi ratione processionis: eaque dicitur mitti ab altera, quæ procedit ab ea. Vnde Pater nunquam missus legitur, quia à nulla persona procedit. Spiritus verò sanctus quia à Patre & Filio procedit, ab utroque mitti perhibetur. Nam sæpè cum Pater mittere dicitur. Et ipse quoque filius Ioan. 15, disertè de Spiritu ait, quem ego mittam. Vnde S. Hilarius lib. 8. de Trinit. & S. Augustinus 4. Trinit. cap. 20. rectè inferunt, Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere, quandoquidem ab utroque mitti dicitur. Filius ergo quia à solo Patre procedit, quia Verbum est, non dicitur ut sic mitti nisi à patre. Vox enim missionis cum de Deo agitur, continet metaphoram à missione sensibili, qua quis dirigitur aliquo: proindeque ex parte principij mittentis, est actio quadam: ex parte autem eius qui mittitur, est effectus quispiam ad cuius executionem mittitur. At in Deo ex parte principij, non potest occurrere alia actio præter productionem æternam; cui ex parte personæ productæ quæ mitti dicitur, adiungitur effectus aliquis externus, eidem personæ proprius, qua-

lis in re præsentis respectu personæ Verbi, est terminatio humanitatis. Quandoquidem igitur Verbum non procedit nisi à Patre, idcirco Verbum quia Verbum est, à Patre solo missum est ad effectum prædictum: ita ut quamvis effectio totius entitatis ex qua Christus coaluit, sit toti Trinitati communis, ob indiuisionem actionum externarum, & operum per eas accipiendum esse, tamen sicut solus filius terminat hypostaticè, ita solus Pater filium ab eo duntaxat procedentem, mittere dicatur ad præstandum effectum illum quasi formalem, peculiarem Verbo. Enucleant hoc plenius Scholastici ad calcem tractationis de Trinitate, exponentes missionem personarum diuinarum.

241 Mihi sufficit circa hanc Christi missionem & Apostolatum, referre & refellere ex Richardo Victorino tract. de superexcellenti baptismo Christi, insulsum errorem quondam. [Filius (inquit Richardus,) missionem, quidam simpliciores, minus sanè intelligunt: cum enim audiunt ab ipsa veritate; Ego exiui à Patre, & veni in mundum, sic intelligunt, quasi prius fuerit in Patre, & non in mundo. Et cum à Patre exiuit, patrem deseruit, & à Patre recessit, &c. & mox subdit. Nec solum est in omni loco, quia est immensus, sed etiam vbique est totus, quia simplex. Hæc est enim natura simplicitatis, quod vbique est, ibi tota est. Cum ergo Deus sit immensus & simplex, conueniens est quod vbique sit totus. Nec cum dicitur esse vbique totus, prædicatur habere partes, immò in hoc ipso habere negatur partes: Quia si partes haberet, totus vbique non esset. Nec cum dicitur totus vbique, intelligendum est, quasi omni creaturæ secundum plenitudinem se infundat. Sed vbique est totus in seipso, id est, vbique est, se totum habet. Hoc de Patre, hoc de Filio, hoc de Spiritu sancto est intelligendum. Quid est ergo Filij missio, nisi formæ seruilis susceptio? Alia in eum errorem suggerit Sanct. Augustinus orat. de s. hæretibus cap. 7.

#### Alteræ notio Apostolatus Christi, spectans totam Trinitatem.

242 At potest prætere alius Christi Apostolatus agnosci, qui non respiciat solum Patrem, sed totam Trinitatem: sitque magis proprius huius loci quo de Christo homine agimus. De Christo enim dictum est Isaia 48. Dominus misit me & Spiritus eius. Tamen enim Origenes, ambiguitatem Græci textus apud Esaiam scrutatus lib. 1. contra Celsium, censuit verborum illorum Græcorum καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου, verum sensum esse, Dominus misit me, & Spiritum eius, tamen verus sensus est, Dominus misit me & Spiritum eius: alioqui dicendum fuisset potius, & Spiritum suum. Præterquamquod Christus Dominus se à Spiritu Domini missum profiteatur verbis illis cap. 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad euangelizandam pauperibus misit me. Cum ergo Christus quia Deus, non procedat à Spiritu sancto, & tamen ab eo mitti dicatur, alia Christi missio, aliisque eius Apostolatus, agnosci debet, respiciens Spiritum sanctum,



nam, atque adeo etiam Verbum quā Verbum. Nam quandoquidem habemus missionem sine processione aeterna; & id omne ratione cuius talis missio potest respicere Spiritum sanctum, commune est filio; negari non potest, quin hic alter Apostolatus etiam filium respiciat. Attigit hanc missionem Christi, diuersam à Verbi ipsius missionem S. Hieronymus in cap. 61. Efaie, & expressè eam tradit Conc. Toletanum 11. in professione fidei *sub finem*, docens Christum non à solo Patre, sed & à Spiritu sancto, & à seipso quoque missum accipi, ob inseparabilem personarum omnium diuinarum & voluntatem & operationem. Differt item Hyginus Papa epistola 1. Decretali, agnoscit, filium non secundum Deitatem solam à Patre missum esse, sed etiam secundum carnem: & eatenus filium quoque seipsum mississe. Itaque vt D. Augustinus 4. Trinit. cap. 40. rectè distinguit, hæc missio, & hic Christi Apostolatus, longè alius est à priore quo Verbum mittebatur vt caro fieret; illi autem posterior, non alia de causa Verbo tribuitur, quam ratione humanitatis, seu quia Verbum caro factum est, & per communicationem idiomatum, quæ huic homini ratione naturæ humanæ conueniunt, tribuuntur etiam Verbo eam suppositanti; Vnde liquet, tantum abesse, vt ex missione siue Verbi ad subsistendum in hac natura humana, siue huius hominis ratione naturæ in qua Verbum subsistit, rectè colligatur diuersitas suppositi inter Verbum & hominem illum; vt potius nequeat ea missio intelligi abque vnitatis personæ, & singularitatis suppositi utramque naturam adunantis. In tantum rem plura petere licet, ex homilia D. Chrysostomi tributa, *de one & piflore* t. 6. Græcol.

*Eadem duplex notio, cadit in titulum  
Angeli, Christo tributum.  
Exponitur prior.*

44 Duplicem notionem propositam, secundum quam Christus dicitur *Apostolus*, notatæque licet in denominatione Angeli, quæ item insignitur Christus Dominus. Quamuis enim Nyssenus orat. 10. (versus 11.) in Eunom. hæc conicit sensum hæreticum, quo Eunomius Christum prout Deum vocabat *Angelum*; tamen in bono sensu, Christus propterea quia homo, dicitur Angelus; estque reuera vox *Angeli* synonemo cum voce *Apostoli*. Apud quosdam erga Patres, Scripturæ quibus Christus dicitur *Angelus*; accipiuntur de Christo quatenus Deus est. Adducit plerisque Fernandus commentario 2. ad visionem sextam sect. 1. quæ tractat problema Theologicum, an qui in apparitionibus veteris testamenti *Deus* nuncupatur, esset semper Angelus, vt D. Augustinus attendit; consentiuntque Valsq. 1. p. d. 185. c. 22. Petrus Dan. 1. Thyr. lib. 1. de apparit. Dei visib. à cap. 24. Ant. Petes Authent. Actor. c. 22. Suarez fulsime lib. 6. de Angelis c. 10. à n. 29. an verò esset aliquando Verbum ipsum diuinum, siue Deus, aut simpliciter, aut cum appropriatione apparitionis ad personam Verbi; quod idem Fernandus affirmat, cum aliis quos profert quibus mox quosdam addam.

Nunc inprimis pro *Angeli* nomine in scripturis tributo personæ Verbi, adduco Cassianum lib. 2. de Incarnat. cap. 3. ubi affirmat, omnia illa Christi prædicata apud Blaiam cap. 9. *locatur nomen eius magni consilij Angelus* (Hieronymus ibi negat nomen *Angeli* haberi in Hebræo, sed sufficit haberi in vulgata editione.) *Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*, esse diuinitatis vocabula. Et idcirco obseruat, in Euangelis, quæ Christi seu Verbi Dei nostræ carni coniuncti, historiam contextunt, inquantales Christi appellationes vsurpati. Similiter S. Iustinus in Apolog. ad Antoninum, cum Angelum qui Moysi in rubo dicitur apparuisse, affirmat esse Verbum Deum; id eoque dixisse, *ego sum Dominus*. Locus est adscriptu dignus, quod ad rem hanc vniuersam illustrandam, videatur peropportuus. [Est autem (inquit) sermo Dei, filius ipsius sicut iam diximus. Idem & Angelus vocatur, & Apostolus. Is enim nunciat quæ sciri oportet, & mittitur vt afferat nuntium, sicut ipse Dominus noster ait: *Qui me audit, audit eum qui misit me*. Quin & e literis Moisaicis id satis apparet, ubi sic legitur; & loquutus est *Mosis Angelus Dei* in rubo ardente dicens, *ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus parrum tuorum; Descende in Aegyptum & educ populum meum*. Reliqua inde petere licet volentibus: non possunt enim hic comprehendere omnia. Tantum adduximus hæc, vt declararemus Iclum Christum esse Dei filium & Apostolum, qui prius Verbum erat, & aliquando in ignis specie apparuit, aliquando in imagine incorporea; Nunc autem per voluntatem Dei pro salute hominum factus homo, passus est iniurias & contumelias; ab inanis Iudæis furore demoniaco percitis: Qui cum in libris Moysi differtè dictum inueniant, & loquutus est *Angelus Dei* Moysi in flamma ignis in rubos, dixitque, *ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, vniuersorum patrum, ac Creatorem, aiunt hæc dixisse. Et hoc est quod Spiritus propheticus eis opprobrat, dicens: *Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit*. Rursum Iesus, vt modò dixi, cum apud eos versaretur, ait: *Nemo nouit patrem nisi filius, neque filium nisi pater, & quibus filius reuelauerit*. Itaque Iudæi qui putant patrem omnium cum Mose colloquutum, nescientes loquutum ei Dei filium: qui & Angelus & Apostolus vocatur, meritò reprehenduntur per Spiritum propheticum, & per ipsum Christum, vt ignorant tam Patrem quàm filium.] Idem discursus habetur apud Tertullianum lib. contra Iudæos cap. 9. vt planè appareat, Tertullianum ex Iustino profecisse. Sed & lib. 3. contra Marcion. cap. 16. eadem iterat ex parte; & vtrouque tradit, Christum dictum *Angelum*, ob magnitudinem virtutum quas erat editurus, & ob officium prophætæ; nunciantis scilicet diuinam voluntatem. Item vt addit lib. de carne Christi c. 14. quia magnum cogitatum patris super hominis restitutione annuntiaturus sæculo erat. De Angeli autem in rubo apparitione, eodem planè modo quo Iustinus & Tertullianus, philosophantur S. Hilarius l. 5. de Trin. & Patres Concilij primi. Antiocheni in professione fidei ad Paulum Samosatenum, ubi de nomine *Angeli* tributo personæ Verbi multa loca acervant.



## Illustratur posterior.

244 Idem tamen Iustinus in colloq. cum Tryphone, Christum magni consilij Angelum ab Isaia pronunciatum quatenus iam filium hominis, tradere videretur, docens Christum dici *Angelum magni consilij*, ratione doctrinae quam factus homo annunciat: & quia docuit cladem Angelorum improborum, & cogitationes pacis quas Deus cogitavit super electos. Qua ratione Christus prout homo, denominatur *Angelus Dei*. Verbum autem non subit eam denominationem, nisi in tempore, & ratione unitatis suppositi inter Deum & illum hominem. Et plane eodem modo de eo Christi nomine philosophatur Epiphanius hær. 69. Egregie autem S. Athanasius orat. 4. contra Arianos, idipsum eruit ex Genesi 48. in hunc modum. [Nunquam quispiam precaretur accipere à Deo, & ab Angelis, aut ab vllis rebus creatis. Neque quispiam hanc verborum formam concepit, *dei tibi Deus & Angelus*, sed contra à patre & filio propter unitatem, vniformemque rationem dandi. Siquidem per filium dantur ea quæ in dationem veniunt. Nihil autem est omnium, quod non per filium efficiat Pater: ita enim qui accipit, tutam & certam gratiam adipiscitur. Iam si Iacob in benedicendis nepotibus Ephraim & Manasse, ad istum modum locutus est; *Deus qui aluit me à pueritia mea usque in hunc diem, Angelus qui liberauit me ex omnibus malis: benedicat pueros istos*: non tunc aliquem Angelorum Creatorum, & qui natura Angeli erant, in vnum copulauit cum creatore Deo, neque omisso nutritio suo Deo ab Angelo benedictionem suis nepotibus postulauit: Sed quia discretè locutus est de Angelo qui illum ab omnibus malis liberauerat, satis præ se tulit, non ex creatiis Angelis aliquem, sed filium fuisse Patris, quem Patri in suis precibus confociauit, per quem Deus liberat quos vult. Hunc enim magni consilij Patris Angelum nouerat, nec alium, nisi illum ipsum qui benedixit & liberat ex malis, suis verbis expressit. Non enim ille sibi à Deo, nepotibus autem ab Angelo benedictionem dari voluisset, sed eundem illum quem interpellabat, *non dimittam te*, (inquiens, *nisi benedixeris mihi*. Is enim erat Deus, ut verba Iacobi clarè testantur: *Vidi Deum facie ad faciem*. Illum ipsum (inquam,) precatus est, ut nepotibus benediceret.]

Idem ferunt illa S. Dionysij cap. 4. cæl. hierar. *in ipso fine*. [Omitto ut ipse quoque Iesus, ea dicere quæ Sacrosanctis nostris traditionibus exponuntur, scienti enim loquor, ut scilicet Iesum Angelus passioni proximum & orantem, confortasse memoretur. Et ipse quoque Iesus, cum ob nimiam charitatem suam, salutique nostræ nimis necessitatem, ad suæ pietatis opus implendum in ordine venisset nuntiantis, *magni consilij Angelus*, sit prædicatus. Nam profectò (sicut ipse suo ministerio conuenientia locutus ait,) *quacumque audiuisti à Patre, nuntiasti nobis*.]

245 Suffragatur aperte S. Augustinus tract. 24. in Ioan. in fine [sic (inquit,) Prophetæ Christus Dominus Prophetarum, sic: Angelus Christus Dominus Angelorum: Nam & ipse dictus est *magni consilij Angelus*. Veruntamen alibi qui dicit Prophetæ? Quia non legatus neque Angelus, sed ipse veniens saluos faciet eos: Id est ad saluos eos faciendos, non mittet legatum, non mittet Angelum, sed veniet ipse. Quis veniet ipse Angelus. Certè non per Angelum, nisi qui ipse sit Angelus, ut etiam Dominus Angelorum. Etenim *Angeli* latine *nuncij* sunt. Si Christus nihil annunciat, Angelus non diceretur, si Christus nihil prophetaret, prophetæ non diceretur. Exhortatus est nos ad fidem, & ad capessendam vitam æternam. Aliquid præfens annunciat, aliquid futurum prædixit. Ex eo quod præfens nuntiavit, Angelus etiam ex eo quod futurum prædixit, prophetæ etiam ex eo quod Verbum Dei caro factum est, & Angelorum & prophetarum Dominus etiam, quod idem S. Augustinus scem. 15. ex 40. nouis tractans turbationem Euangelicæ pfectionis ex descensu Angeli, confirmat, Christum hunc fuisse Angelum, quia nuntius erat voluntatis Patris.

246 Planèque eundem sensum fert, quod apud Malachiam, Christus ad templum veniens, atque ad eam iam homo, & prout homo, vocatur *Angelus testamenti*. Idem habet Clemens Alexandrinus 1. pedag. cap. 7. vbi de Christo, *mytico* (ut vocat) *Angelo* plurali. Audi Rupertum lib. 5. in Apocal. Angelum esse Christum Dei filium, Angelum, id est, nuntium magni consilij hunc esse vel dici, non solum prophetica, verum etiam legalis auctoritas astruit, cum ad Moysen Deus dicit: *Ecce ego mitto Angelum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obserua eum & audi vocem eius, ne contemnendum putes, quia non dimittet eum peccaueris. & est nomen meum in illo*. Nam Angelus in quo debeat esse nomen Dei, id est qui Deus aut Dominus iure debeat dici, vnus & solus est Deus, Christus Dei filius? *Etis*, (inquit,) *venit*, videlicet in hanc mundam, per incarnationis mysterium. Nam & ex eo quod sic venit, & voluntatem Patris nobis annuntiauit, Angelus dicitur, & est. Veniens autem, *stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua. Quomodo stetit ante altare, nisi prestatu se exhibens ad subeundum opus obedientiæ spontaneæ? Cum enim tanquam Deus manu sua se tueri posset, tanquam homo infirmum, se inueniri & teneri passus est, dixitque orans ad Patrem; *Mi Pater si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Itaque non se defendens stetit ante Altare, videlicet tanquam ouis ductus ad immolandum, & non aperuit os suum. Taliter astitit, aureum in manu sua habens thuribulum, scilicet apparens in conspectu Ecclesiæ, factus ipse thuribulum, ut super altare crucis thuribulum suum aureum, id est corpus immaculatum, & de Spiritu sancto conceptum, offerret Patri pro nobis.] locum ex cap. 23. Exodi quo vltim vides Rupertum, ad monstrandum quod Christus in*



in Scripturis dictus sit Angelus; adhibet quoque in eum finem Arnobius in conflictu cum Serapione lib. i. sub finem, ubi & alia pietaque loca ad idem declarandum addensat.

247 Sed pereleganter ac late lib. i. de meditata. mortis cap. 11. monstrat idem Rupertus, de Christo per simplam mortem suam liberante nos à dupla morte nostra, dictum esse Iobi 33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnum de similibus, ut annunciet hominibus aequitatem, &c.* Quae verba toto reliquo illo libro, & sequenti versans & ad Christum accommodans, post S. Gregorium, affirmat cap. illo 11. Christum esse illum Angelum, qui non dominici eloquij, sed suimet factus est Angelus ac nuncius, ut apud Amos quoque dicitur verbis illis, quia ecce formans montes, & creans ventum, annuncians hominibus eloquium suum. Dominus exercituum nomen eius. Addit cap. 13. hunc ipsum dictum esse à Malachia Angelum testamenti, quia taliter Angelus factus est, ut solus moreretur, & mori posset secundum naturam nostram quam assumpsit, & moriendo conscribere nobis testamentum aeternae hereditatis. Et quamvis Petrus Blesensis sem. 46. in initio, dicat hunc esse non Angelum Domini, sed Angelum Dominum; tamen potest quoque Angelus Dominus, quia unus cum patre Deus est, dicitur Angelus Domini, quia à Deo missus est. Latè denique Angeli nomen Christo sub hac ratione vendicat Origenes lib. 5. contra Celsum sub finem, probans iuxta Christianos, ante Christum, alios missos fuisse: sed hunc docens esse magni consilij Angelum qui hominibus Patri vniuersorum, de ipsius Concilium nuntiaret.

*Favitas Bogomilorum ac Origenis circa Christum hoc secundo modo Angelum.*

243 Hac secunda denominationis proposita notio, quod spectet Christum prout hominem, nec nisi per communicationem idiomatum refundatur in Verbi personam, est huius tractationis magis propria, quam prior, quae denominationem Angeli directè tribuit ipsi Verbo diuino, etiam si cum aliqua connotatione humanitatis postea assumendo. Cauendum autem circa eam est, ne quod delirasse Bogomilos autor est Euthymius p. 2. panopl. tit. 23. num. 3. existimemus, Verbum Patris, esse celeberrimum Archangelum cui nomen Michaeli, quod caro sit factum. In quam vanissimam favitatem, consensisse bene multos è Lutheri & Caluini hata subulcos; latè refert Serarius in cap. 5. Iosue q. 42. fusè id refellens q. 43. & 44. Quod frustra ferè fieri censeo, cum ex veteri Testamento, longè ante Christi aduentum & Verbi Incarnationem, constet fuisse vnum quemdam Michaelis homine signatum, creatum spiritum, quod tributa ei munera euincunt.

Rursus circa denominationem Angeli diuino Verbo tributam, cauendum est, ne quod Origenis verba innuere videntur hom. 8. in Genes. & tomo 1. in Ioan. ad illud in principio erat Verbum in longa explicatione nominum

Christi, cum deuenit ad explicationem primi & nouissimi, existimemus Christum factum reuera esse Angelum aequè ac hominem: quod Origenes probat, quia Christus vocatur magni consilij Angelus. [Seruator (inquit,) diuinitus multo quam Paulus factus est omnibus omnia, ut omnes vel lucrificeret; vel perficeret. Et manifestè homo hominibus, Angelis Angelus factus est. Cumque fidelium nemo ambigat hominem eum fuisse, Angelum etiam eum fuisse adducimur ad credendum, obseruantes Angelorum apparitiones, & verba, quando potestatem eum apparet Angelorum habere, in quibusdam Scriptura locis, Angelis loquentibus: veluti illo in loco; *visus est Angelus Domini in flamma ignis de medio rubi, & dixit: Ego sum Deus Abraham, & Isaac, & Iacob.* Quin etiam Esaias dicit; *vocabitur nomen eius magni consilij Angelus.* Primus ergo & vltimus est Seruator: non quod non sit etiam inedia, sed idcirco duorum extremorum vocabulo gaudet, ut declarat se omnia fuisse. Hoc vel apertè falsum vel nimis mysticum est. Quomodo enim Christus factus Angelus? Non enim Deus Angelos apprehendit

*Visus doctrinae.*

249 Est Christus, fidelis Dei ad nos nuncius atque legatus. Itaque quam fidem legatis Principum deferre par est, honores item ac immunitates quibus legati iure gentium vbiuis potuntur, congruum vel etiam necessarium est, Christo non negare. Egredimur quippe ferret Pater, si quem signauit & ad nos misit, velut planum ac impostorem audire, & ut fidem adhibere refugeremus. Et ægrius etiam ferret inhonorationem aut contumelias si quas à nobis toleraret. Notum quid David in dehonestatores legatorum suorum sanxerit, & quam graues poenas de eis sumperit. Qui igitur in nuncium à Deo ad nos missum iniurius & contumeliosus fuerit, eum inquam condignè non exceperit, vel irreuerenter habuerit, meminerit in quem recidat ea iniuria inhonoratio. Vtique in ipsum Deum viuentem, quem in legato suo vidisse impium est, nec impunibile abibit.





## CAPVT X.

*Christus veritas Dei, sue amen  
Deo ad gloriam  
nostram.*

**I**N hoc titulo dedi de Christo, verba Apostoli 2. Cor. 1. qui excusans mutationem consilij de aduentu secundum Corinthum, veritus ne quis eam propositi varietatem traheret in dedecus Evangelij quod annuntiaret, habereturque etiam in eo varius, addit; *Fidelis Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos non est in illo est & non: Dei enim filius Iesus Christus qui in vobis per nos predicatus est, per me, & Syllanum, & Timotheum, non fuit est & non, sed est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est: ideo & per ipsum amen Deo ad gloriam nostram.*

*Amen Deo per Christum, an spe-  
ctet orationum clausulam.  
Sensus germanior.*

250 Postrema verba, Theodoretus ad hunc locum, accipit de clausulis orationum nostrarum ad Deum. Est enim *amen*, signaculum orationis cuiusvis nostrae, ut scire dixit S. Hieronymus; & tradunt qui antiquum orandi publicum vsu describunt, Iustinus apolog. 1. & Cyrillus catech. 5. mytag. Vnde quia quaecunque postulamus à Deo, per Christum postulamus, existimat Theodoretus dictum esse ab Apostolo, per Christum adhiberi Amen Deo, ad finem orationum, & nostrarum Dei glorificationum. Est sane id verissimum, si rem spectes præci à contextu Pauli. Christus enim iam ab Ecclesia Christianæ cunabulis, imo ab origine mundi, interpositus semper est à fidelibus ad conciliandam orationibus auctoritatem, & exorandum Deum, ubi nunc etiam seruatur in publicis precibus. Benè id tradit autor libri de amore Dei apud Bernardum cap. 8. & illustrat Durandus 2. de ritibus cap. 16. num. 12. verissimè igitur à Theodoro dictum est, per Christum dici à nobis *amen Deo*, ratione clausulae qua preces omnes obsequiamus. Quominus tamen ea interpretatio Apostoli admittatur; facit, quod reuera non coheret cum contextu: in quo Apostolus perspicue agit de diuinis assertionibus ac promissis, non autem de orationibus nostris.

Existimarim itaque sensum Apostoli esse, Christum esse ipsam veritatem & firmitatem, cum dictorum, tum promissorum diuinorum, quæ ab Evangelicis concionatoribus, Sylva, Timotheo, ipsoque Paulo, proposita Coticithis fuerant. Volebat enim Apostolus certitudinem firmam prædicationi suæ conciliare, & amouere ab ea notam leuitatis, ut di-

ctum est. Ad hoc ergo assumit, in Christo quem annuntiat, (nam is est, non autem Deus ad quem referuntur ea particula, in illo ut benè vidit creditus Anselmus;) non esse nisi est, q. d. veritatem & firmam certitudinem: idque constare ait, ex diuinis promissis, quæ omnia in Christo cernuntur rata. Quod enim Breviatum fidei contra Arianos, hæc verba refert adesse Christi à se, & hunc locum vult esse asinum illi alteri, qui est, misit me ad vos, non est reuera consentaneum textui, qui solam quam dixi veritatem sonat. Et meritò. Nihil siquidem antiquis Patribus, aut per Prophetas populi Dei promissum fuit, quod non abunde in Christo perfolatum habeatur, atque expletum. Ideoque per Christum, *amen Deo*, hoc est ipse Christus, (nam illud per, sumo ut sapè alias, in sensu fortissimi, non autem casualiter) ipse inquam Christus, est *amen Deo*, quia per eum deprehenditur Deus omnia verè & dixisse & promississe. Vnde ingens gloria redundat in Christi præcones: nisi maius in ipsum Deum, quod potius fert Græcus contextus, qui habet *di' n'ay per nos*: ut sit sensus, *Christum esse amen Deo*. Vnde magna Deo gloria redditur per nos, perspicientes in Christo firmitatem ac veritatem plenam omnium à Deo, siue simplici assertionem propositorum, siue promissio firmatorum. Ita videtur hunc Apostoli textum accepisse S. Epiphanius hæres. 42. quæ est Marcionitarum. Sic enim scribit, [Non est contrarius Christus Deo qui legem dedit & Prophetas. Nam eò quod in ipso promissiones promissæ sunt, idcirco inquit, & per ipsum, *Amen Deo*. Ita ut Deus quidem Pater promissit, Christus autem confirmet, & Dominus amen ipsum sibi vendicat per ipsum, in his quæ per ipsum promissione confirmata sunt, cum pater ipse in lege locutus sit, & in Evangelio credentibus salutaria donauerit per ipsum Christum.] S. Basilii in catena Græcorum à Francisco Zephyro collecta, consentit prolata Apostoli verborum interpretationi. Proposita enim quaestione, [cur recitatis exhortationibus Deuteronomij, adiungitur Amen; benedictionibus verò nulla sequitur affirmatio, Amen:] Respondet S. Basilii. [Diluit hanc dubitationem Apostolus, dicens; *Filius Dei non est, Amen, & non Amen; etiam, & non; sed in se ipso est Amen.* Omnes enim Dei promissiones, in ipso sunt, Etiam, Amen. Ipse nimirum est qui benedixit nobis omni benedictione spiritali.] Quia ergo benedictiones Christi, pro nobis non pro Hebræis fuerunt, quia nobis Christus factus est benedictio, non subiungitur Amen benedictionibus Iudæorum.

\*\*



*Loca alia, quibus Christus dictus, Amen, seu veritas Dei.*

251 Ne verò nomen illud Christi, *amen*, prædicto dumtaxat Apostolico loco, quem alij non nihil variè accipiunt, inædificare videatur, extant alia in Scripturis, vnde cum titulum confirmemus, nominatimque illud ex cap. 3. Apocal. *Hæc dicit amen, testis fidelis & verax qui est principium creatura Dei*, Græcè additur articulus, quo designatur manifestus, illud *amen* summi substantiæ & in vi nominis à *quæ*, à *quæ*, à *quæ*. Ille *amen*, ille *testis*, ille *verax*. Quamvis enim in Scripturis, hæc vox interdum sumatur in vi adverbij, aliàs verò in vi verbi, quod contra Oleastrum in cap. 5. Numerorum, Caminum lib. de locis novi testam. cap. 5. angustius de notione illius particula opinatos, ex variis Scripturis & peritorum suffragiis firmaui in Tractatione de S. Latrone cap. 10. Tamen dubitare non licet, quin insuper quoque ea particula vsurpetur in vi nominis, vt Isaia 65. *Servos suos vocabitis nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedictus in Deo amen. & qui iuravit in terra, iurabit in Deo amen.* Vbi *Deus amen*, est *Deus verus*, vnde *amen* sumitur ibi in vi nominis Vox Hebræa propriè verteteretur in *Deo veritate*. Eum locum latè versat S. Hilarius lib. 5. de Trinit. & affirmat illum *Deum amen*, aut vt ipse semper legit, *Deum verum*, esse Deum in assumpta humanitate. Apud eundem Isaia c. 25. laudatur & exaltatur *Deus*, eo quod fecerit mirabilia, cogitationes antiquas, *fideles amen*. En cogitationes *amen*, id est cogitationes veritatis & fidelitatis. Similiter Ierem. 11. vbi vulgatus habet, *respondi & dixi, amen Domine* 70 vertunt, *Deum verum*: agnoscitque Sanctius ad eum locum, *amen* ibi summi substantiæ, & *Deum* vocari *amen*. Eadem vocis huius notio locum habet Apocal. 7. in illis verbis, *amen benedictio, & claritas & sapientia*. Quid quod S. Hieronymus clausulam illam epistolæ ad Galatas, *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres amen*, ita accipit, vt illud *amen*, sit nomen sonans qualitatem fidelium ad quos scribebat. Vocat enim eos *fratres amen*, id est *fratres fideles*. Cum ergo habeamus tam multa loca, in quibus *amen* sumitur in vi nominis; non potest mirum videri, quod dicamus Christum vocatum esse *amen*, vsurpata ea voce in vi nominis; propterea scilicet designat *verum*, imò *veritatem* in abstracto. Nam propriè sic exprimenda esset vox Hebræa, vt interdum quoque factum est. Ab *amen* enim, quod est *fidem præstare*, oritur *amana*, id est veracitas ac fidelitas; & in dictis factisque constantia. Tamen non solet ea vox latine aut Græcè verti, vt de hoc & plerisque aliis Hebræis vocibus observat S. Augustinus 2. doctri. Christi cap. 11. v. 5. de Sabaoth, *Osanna, Alleluia*, aliisque humilimodis, quæ retenta sunt apud omnes gentes, [propter sanctiorem auctoritatem quamvis interpretari potuissent, servata est antiquitas.] Rursusque tract. 41. in Ioan. [sic mansit, non est interpretatum, vt honorem haberet velamento secreti, non vt esset nega-

tum, sed ne vilesceret, nudatum. Quare supposita huiusmodi notione vocis *amen* qua Christum in Scripturis denominari vidimus, monstrandum nobis ad eius elucidationem incumbit, Christum esse veritatem Dei ad gloriam nostram. Quod cum propitius veritatis significatione, possit accipi de veritate dictorum, & promissorum, ac rerum typis & imaginibus contrapositum; erit nobis per singulas hæc veritates breuiter discurrendum, vt omnibus modis appareat, Christum esse *amen* Deo, siue Dei veritatem.

*Prima in Christo, Dei veritas, quæ dictorum, & referatæ sui notitia.*

252 Est imprimis Christus Dei veritas in dictis. Innouit enim nobis in Christo, doctrina veri Dei, cum ante eam inundaret orbem falsitas. Non enim de sola Egypto verum est, quod aquis operata & tenebris obsita esset, ante tempus quo Christus natus est; postmodum autem liberata sit ab aquis, & visibilis ac conspicua facta; quod ad liberationem à falsitate qua ante Christum inundante obrebat, accommodat Anastasius Sinaita lib. 3. Hexaem, ad illud & *appareat arida*. Non inquam id Egypto peculiare est mysticè loquendo; sed vniuerso orbi commune, quem Deus per Christum veritate repleuit. Per Christum innouit maximè orbis parti: vnitas veri Dei, quæ quàmvis naturaliter erat cognoscibilis, tamen offusa peccatis interno visui caligine, plerisque non apparebat. Nihil frequentius, quàm vt homo lapidi & ligno accidens, ei diceret, *Deus meus es tu*, & saxo prostratus acclamaret, *in me genuisti*. Nec prouulgata in orbis tertiarum angulo lex scripta, tantæ tamque profundæ Dei veri ignorationi medebatur. Enim verò ait S. Cyrillus in oratione in Concilio Ephesino habita in die S. Ioannis Euangelistæ. [Dum lex per Moysen promulgata adhuc vigeret, Evangelica prædicatione nondum allata, in sola Iudæa notus erat Deus; in Israël magnum nomen eius. Erat enim Moyses voce exili, linguaque tardiore; vnde per solam Iudæam audiebatur. At vbi vera illa lux nobis illuxit, & Deus Verbum, æque ac vnus ex nobis, carni & sanguini communicauit, omnia illius plena facta sunt. Vbiq; exultantium chori, vbiq; veri adoratores & boni pastores. Rationalium pecorum greges, præ multitudine, sacra stabula angusta reddunt.]

Olim Philosophi ingenio acutissimi, ad solem diuinæ veritatis cœcutientes, ea de Deo dixerunt quæ abhorrent ab eo quàm longissimè. Ac ne stolidos quosdam adducere videar, Aristoteles qui ingenij miraculum, & metrum humanæ eruditionis patatæ à quocunque, aut parabilis est habitus de Deo ea scripsit, vt videre est apud Franciscum Picum lib. 5. exam. vanit. doctri. gent. cap. 17. & 18. quæ quàm circa Deum cœcutiuerit egregiè prodant. Nunc per Christum vel anus illucratissimæ, & rapices quique ac petrones, inter Christianos Deum sincere & verè norunt.



notant. Hanc Dei veri veram noticiam adeo diffusam & illustrem, per Christum accepimus.

253 Ab eodem, patefacta est Trinitas personarum. Extant quidem in antiquo Testamento adumbrationes aliquæ Sanctissimæ Trinitatis, vt Galatinus fuscè persequitur lib. 2. de arcanis à cap. 8. & Petrus Alfonsus toto titulo 6. nec non Genebr. in notis chroniceis, præsertim ætate 4. vnde illa in quibusdam Gentiliis aliquis notitia Trinitatis, vt notauit in Natur. Theolog. dist. 5. à num. 191. Tamen & inter Gentiles ea notitia fœdis erroribus veram Trinitatem excludentibus obnubilabatur, & inter Indæos non nisi rudis adumbratio tam arcani mysterij, ad præparanda vtrunque ingenia excipiendæ plenæ luci Christianæ, exhibebatur. Expressa autem tanti mysterij detectio, Christianæ temporum plenitudini reseruabatur, vt monuit S. Epiphanius in Anchorato, & concinne in hunc modum Gregorius Nyssenus in qq. de imag. [Est conceptus vi feminis cuiusdam mali, tanquam in vtero quodam præuaticationis homo, in tenebrosis, & in ymbra mortis sedens. Deinde cum in cognitionis Dei lucem, tanquam infans ab initio progressus esset, per legis directionem animatus effectus est, cum Patrem ac Deum agnosceret, in se quidem habentem, sicut & anima, substantia coniunctum Verbum & Spiritum. Hominem verò, cum propter nimiam iudicij imbecillitatem, non caperet manifestationem Verbi & mentis, nè specie diuini cultus prolaberetur in multorum Deorum cultum, tempore procedente erudiebatur tanquam infantulum crescentem, hæc nostra mundi natura, velut ab anima quadam edocta à Deo & Patre, vt obscure cognosceret, & velut ex quibusdam minus clavis balbutientis linguæ vocibus ex propheticeis documentis, exitum & ortum atque apparitionem substantialis & occulti Patris Verbi. Post quas balbutientis voces, (Mosaica inquam, & prophetica Verbi ænigmata,) cum prodississet, clare & articulare, tanquam ex labijs quibusdam ex vtero virginæ perfectum Verbum Dei, tum perfectam triplicem plenitudinem suam cum istis, & per istud, notam deinceps effecit humana mundi natura.] Rursusque in opusculi calce. [Quemadmodum matris infans, brutus est ac sine mente apud homines, quousque verbum labris genuerit: ita per Dei Verbi generationem in carne, omnis brutalitas naturæ nostræ deleta est, cum Deus Verbum patrem suum creaturæ palam, & Spiritum sanctum reuelasset.] Eusebius in eandem sententiam, de reseruata Christianis temporibus notitia Augustissimæ Triadis, pleraque habet lib. 1. contra Marcellum Ancyrt. cap. 1. & l. 3. de Eccl. Theologia cap. 2. Aliibi addam quæ de Trinitatis mysterio post Christi transitum manifestè exposito, commentatus est S. Augustinus quæst. 154 in Exod. expendens illud, cum transferis gloria mea, me videbis. Et tract. 100. in Ioan. ad ea verba, ille me glorificabit, vbi eo aptat illud psalmi 107. exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.

A Christo igitur habemus tam eminentis veritatis patefactionem.

*Incerta & occulta Sapientie Dei, manifestata verissime per Christum, qui idcirco Vrim & Thummim.*

254 Per Christum, Deus incerta & occulta Sapientie suæ manifestauit. Vt iure sanè propitiatorio per quod Deus oracula fundebat, & veritatem suam promebat hominibus, à variis Patribus componatur, aut illi certe pectori Pontificis appressa veritati, vt habetur cap. 28. Exodi, vbi Pontificis pectus videtur ornati insigni opere lapidibus pretiosis intexto, inscriptis hisce Hebræis vocibus, *Vrim & Thummim* 70. vertunt *Veritas & Veritas* quod latine dicitur, *illuminatio*, vel *manifestatio & veritas*. Vrim enim à radice *Iara* idem est quod *manifestare & docere* lue *illuminare*. Thummim verò à radice *aman*, vnde etiam prodit *amen* de quo agimus, quod est verbum credendi habens pro obiecto veritatem 70. interpretes, *Thummim* voce *adhibet* hoc est *veritatis* expellerunt. Conuenientissimè autem in Pontificis pectore veritas & manifestatio nexa sunt, vt his verbis pulchre docet Philo Iudæus lib. de Iudice. [Quid in vita est æquè preciosum ac veritas? Quam vates sapiens inscripsit loco Sacratissimo, ea parte vestis Pontificiæ, vbi est principalis vis animæ, vt Sacerdotem per hoc ornamentum augustiorem faceret. Veritati autem adiunctæ cognatam virtutem, declarationem (vt vocat) vt essent seu imagines orationis, quæ vel animo concipitur, vel profertur etiam. Nam hæc declaratione opus est, per quam aperitur aliis, quicquid latet in animo. Sicut veritate illi alteri, ad perfectionem vitæ, actionis, quæ per quas itur ad felicitatem.]

Hinc liquet, quàm consentaneè *Vrim & Thummim* quæ Christi imago fuit, vt docet S. Cyrillus in expositione Symboli Nicæni, veritatem & manifestationem iunctas haberet. Fuit enim Dei veritas patefacta, & verbum bonum non in corde abditum, sed propalatum & foras emissum: quæ est iuxta Philonem, notio germana Symbolicæ expressionis per *Vrim & Thummim*. Et multo sanctius quadrate hac ex causa Christo potest, titulus eminentis quo summum suum Sacerdotem decorabant Iaponij vt refert eorum Apostolus lib. 3. epistola 5. Vocabant enim eum *Nimxit*, id est, *cor veritatis*; vbi ni fallor per mimicam Satana emulationem (vt in aliis plerisque notatum est à Tertulliano cap. 14 libri de cor. milit. & lib. de præscript. cap. 40.) translato ab hoc vsu Hebræorum, ad cor summi Sacerdotis appendicium veritatis figuram. Vnde etiam ortum quis non immerito censuerit, quod apud Egyptios referente Eliano lib. 14. var. histor. 34. e pectore summi Sacerdotis ac Iudicis, Sa-phyrus cui adscripta erat veritas, dependebat. Eoque habitu in vestibulo sepulchri Regis Simandij, primus inter iudices 30. qui statuatio opere ibi visebantur, veritatis imagine de collo suspensa conspicuus micabat.



255 Nec minus concinnè accommodari Christo potest alia eiusdem Philonis de Vim & Thummim Philosophia lib. 2. de Monarchia. Vestitum namque Pontificium vniuersum, Philo ibi docet esse symbolum orbis terrarum, vt insinuat est à sapientie, attigitque S. Ambrosius lib. de fuga sacculi cap. 3. in fine, & fusè quoque prosequitur S. Hieronymus epistola ad Fabianum. Vim verò & Thummim, sic interpretatur Philo. [ In pectore sunt gemmæ duodecim, eximius coloribus ternæ serie quadraplici, ad exemplar signiferi circuli. Nam & ille ternæ & suis duodecim signis in quatuor anni horas distribuit. Ceterum tota hæc pars in qua sitæ sunt, rationale vocatur vero nomine. Quoniam quicquid cælo continetur, fabrefactum orbatumque est certis rationibus inter se congruentibus: Nam ibi nihil non sua ratione nititur. Id rationale geminus textus variat, quorum alter *claritas* appellatur, alter *veritas*. Per hanc subindicatur, non esse fas vlli mendacio cælum ascendere, quod totum inde ad terrena loca relegatum sit, & demigrarit in animos scelerum hominum. Per claritatem verò res nostras clarescere naturis cælestibus, alias in obsecro futuras. Liqueat enim, quod nisi sole illustrante, non essent conspicuæ tot qualitates corporum, nec tot colorum, formarumque species, nec dierum, noctium, mensium, annorumque discrimina. Et in vniuersum quis distinguit tempora, nisi solis, lunæ, cæterorumque syderum cursus, ac reuerfus, concinniores quàm vt enarrari possint humana facundia? Vnde numerorum natura, nisi ex obseruatione modò dictarum temporis partium? Quis in tanta maris latitudine simul & altitudine, vias nautis aperuit, nisi ratio syderum? Alia quoque innumera, viri sapientes deprehensa per eorum notitiam reuulerunt in literas, vt procellas & tranquillitas aëris, felices ac malignos frugum protuentus, æstus remissos, & acerbissimos, hyemes asperas, aut vernantes, siccitates & pluias, fecunditatem animalium & stirpium, aut è diuerso sterilitatem, & id genus alia. Omnium enim rerum terrestrium, in cælo signa notata sunt.

Hæc citra expensionem, Christo accommodare quis potest. Est enim iustitiæ sol, non habent vllam in se partem tenebrarum, imò eas depellens à sublunari mundo cui præluet, & præsentia ac futura commonstrat. Omnium planè illarum veritatem factus mysticæ autor, quas à sole per veritatem Pontificiam expresso, deriuari in orbem subiacentem, commentatur Philo. Et ante Christum quidem, solem exortum, lux aliqua tanquam crepusculum affulsit orbi: adulta tamen & liquida lux, aduentui eius est seruata. Vt non possim sanè Origeni adhære qui Tomo i. in Ioan. ad illud, & hoc est testimonium Ioannis, contendit ante Christum eximios quosque Prophetas nihil minus cognouisse mysteriorum nostrorum, quàm Apostolos, & alios ab eis edoctos. Hoc omnino censeo falsum, repugnatque plenitudini lunæ & temporum, in qua Apo-

stoli sunt versati. Melius S. Macarius hom. 27. proposita questione quorsum Apostolus 1. cor. 2. dixerit de nostris myteriis, *quæ oculis non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendunt*, responder. [ Illo tempore magnates iusti, Reges & Prophetæ, venturum esse Saluatorem nouerant: passurum autem esse, crucifigendum, ac sanguinem profusurum in cruce, non nouerant, neque audierant, neque ascendit in eorum cor, futurum baptisma ignis ac Spiritus sancti: item in Ecclesia offerendum esse panem & vinum typum seu figuram carnis eius ac sanguinis: atque eos qui participant de pane visibili, \* Spiritualiter carnem Domini esuros: item Apostolos & Christianos suscepturos paraclæctum, atque induendos virtute ex alto, ac replendos diuinitate, commiscendas quoque animas cum Spiritu sancto. Hoc ignorabant Prophetæ ac Reges, neque ascenderat in cor illorum. Nunc Christiani, alio pacto discunt. ] Optimè item sub alio licet schemmate S. Gregorius 27. mor. cap. 5. Apostolorum sapientiam, vt gurgitem fuisse ad stillas anteriorum, clarè prosequitur.

*Christus fons veritatis in nobis, quantum in ipso est.*

256 Meritissimò igitur dixit Baptista, Ioannis 1. per Christum factam esse veritatem, quia omnis veritas Dei quæ in nos defluxit, à prima illa & substantiali veritate Dei, quæ Christus est, dimanauit. Quod omnino egregiè tradit Origenes tomo 6. in Ioan. ad illud, & hoc est testimonium Ioannis. Opponens enim sibi, quomodo Christus fecerit veritatem, cum Christus profiteatur se esse veritatem, & nemo possit seipsum facere, respondet. [ Intelligendum est quod dicitur *ad illud* ea, quæ est per se veritas, ipsa illa quæ est substantialis, & (vt ita dicam) primum exemplar illius veritatis, quæ in animabus inest rationis capacibus, à qua veritate veluti imagines illius, impressæ fuerunt spectantibus veritatem, non per Iesum Christum facta est, neque omnino per aliquem, sed à Deo. Quemadmodum enim neque sermo ille, qui in principio erat apud Deum, non est per aliquem; neque sapientia illa quam creauit initio viarum suarum Deus, est per aliquem: sic neque veritas illa est per aliquem. Verum quæ apud homines est veritas, per Iesum Christum facta est. Verbi gratia, veritas quæ in Paulo inest, & ceterisque Apostolis, per Iesum Christum facta est. Nec mirum est, si veritas cum sit vna, multas quasi veritates ab illa dicamus diffluere. Vidit enim Dauid ille Propheta multas veritates, dicens: *veritates exquirat Dominus*. Non enim vnâ exquirat veritatem, veritatis ipsius Pater, sed multas, per quas seruantur qui eas habent. Simile verò quiddam huic orationi de veritate, & veritatis, dictum inuenimus de iustitia, & iustitiis. Ipsa enim iustitia, quæ est substantia, Christus est, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiæque, & sanctificationis, &

P redem



redemptio perfecta. Ab illa autem iustitia, ea iustitia formatur, quæ in vnoquoque inest, ita ut in his qui seruantur, multæ fiant iustitiæ. Hanc ob causam etiam scriptum est, iustus Dominus, & iustitias dilexit: sic enim in veris exemplaribus, & cæteris traditionibus iuxta septuaginta, & ipso Hebræo inuenimus. In specie verò, num isto modo alia quoque quæ Christus esse dicitur singulariter, pro proportionem multiplicata, plurimum numero effectui possint.]

Est ergo Christus, & in seipso substantialis veritas, & in vnoquoque fideli veritas: quia tota veritas supernaturalis quam obtinemus, & omne Dei arcanum quod verè attigimus, est plenæ veritatis Christi stillicidium. Scitè Chrysostomus serm. de sigillis 1.6. Græcol. [quandio quidem Christus absuit, porta veritatis aperta non fuit, neque vinculum ignorantie solutum.] Eius autem aduentu, apertam esse oculis prius veritatis portam, monstrat consequenter. Similiter S. Gregorius 29. mor. cap. 2. tractans illud, ostendisti aurora locum suum, interpretatur auroram luce & tenebris commissam, Ecclesiam militantem, cui à Christo ostensus est locus veritatis. Id quod etiam in antiquis Patribus voluisse docet, quos oportuit lucem veritatis à Christo haurire. [Bene autem (inquit) post ortum suum, locum proprium auroræ ostendisse se perhibet, quia futuræ retributionis beatitudinem priusquam per corpus ipse innotesceret, in paucorum intellectu continuit. Cum verò humanæ natiuitatis infirma suscepit, venturæ claritatis notitiam in multitudinis innumeræ amore dilatauit.]

257 Non obstat quominus sit Christus, veritas nostra, quod etiamnum aliqui, post veritatem Dei in Christo à Deo luculenter expressam, inuoluuntur nihilominus falsitate, nec si Christus in eis veritas, iuxta Dei consilium; siue hæretici sint tenebris errorum obscuratum habentes intellectum, siue Catholici à quorum plerisque diminutæ sunt veritates, quia vitam ei veritati, quæ Christus proposuit, conformem non exigunt. Non est inquam ea labes in Christum referenda, sed in subiecti incapacitatem, quod falsitate occupatum & quasi plenum; eique ex electione adhærescens, non sit particeps veritatis. Idem profectò his contingere dixerim, quod apud Dionem Prusæum in calce orationis 35. Indis illis, habentibus apud se diuinissimum fontem veritatis, de quo gustare non possunt qui repleti sunt. Sic est planè in Ecclesia Christiana diuinissimus fons veritatis, (nam fons sapientiæ Verbum Dei Christus Iesus;) sed de eo fonte gustare non possunt, qui repleti sunt. Hoc quid sit, benè perspexerat F. Iordanus, inter primos Ordinis Prædicatorum Generales, non ætate tantùm sed etiam meritis & eximia sanctitate referendus. Narrat in eius Actis Leander pag. mibi 32. cum ad eum ægrum accessissent Fratres, ut in Generali conuentu, verbum aliquod ad ædificationem promeretur; paucis respondisse petito dicendi argumento ex antiphona quæ

per illud tempus crebrò recurrit, (agitabatur enim festum Pentecostes; ) iterabimur sapienter per hoc hebdomadem ea verba, repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui. Non prius locuti sunt & ad Dei opus aggressi, quàm repleti Spiritu veritatis, qui est ipse Christi Spiritus. Nec prius repleti sunt quàm effunderetur Spiritus eorum, Spiritus carnis ac seculi Christi Spiritus aduersus, qui in vasis præerat. Sicque impletum est quod Psaltes cecinerat; auferes spiritum eorum & deficient, emittes spiritum tuum. Hunc accipimus eoque replebimur, si spiritum nostrum foras mittamus, & effundamus. Sapienter ista Iordanus. Quid ergo sit exinanitum duxit, non autem repleum gustare posse fontem veritatis patentem per Christum, ad distinguendam veri sitim cuius innatam, intelligit quisquis Verbo propter nos exinanito conformatur. Planè est Christus fons veritatis & sapientiæ, de quo non gustant, qui aliter quàm Christus sunt affecti: atque adeo qui desipiunt spiritu, cuiusmodi sunt omnes ei repugnant. Nam S. Paulinus p'æ ac scitè de more epistola 43. vocat Christum fontem veritatis, cuius doctrinæ quicquid aduersatur, insanum est.]

Huius fontis veritatis, riuulos esse Scriptores sacros, de quo secuti bibamus cum nullà sit in eo falsitas, dixit S. Augustinus ser. 8. ex 11. additis in calce tomi 10. Bibunt simul & comedunt ex hoc veritatis fonte Christiani, & sic se habet Christianismus, ait S. Macar. hom. 27. Decora huius fontis veritatis, complexus paucis est S. Chrysostomus hom. 61. ad pop.

*Affectus pij, ex hac prima, Dei in Christo, veritate.*

258 Eia quis sufficienter, & Deo & generi nostro gratus erit, abiectionem freni erroris quod erat in maxillis populorum: Sensus & affectus S. Gregorij hom. 18. in Ezech. sub finem, huc bellissimè cadit. [Considerate (inquit,) libet, quantum super nos effusa sunt viscera creatoris nostri. Omnes enim nos ex gentilitate venimus. Antiqui parentes nostri, lignis & lapidibus seruiebant, & derelinqentes Deum à quo facti sunt, Deos venerati sunt quos fecerunt. Nos autem per omnipotentis Dei gratiam, ad lucem de tenebris venimus. Recolamus ergo de quibus tenebris venimus, & de luce quam accepimus, gratias agamus. Neque enim diuinam misericordiam intelligit, qui suæ misericordiam memor non est. Vnde & per Psalmistam Deo dicitur, *Miserifica misericordias tuas Domine, qui saluos facies sperantes in te.* Tunc enim nobis Dei misericordiam misericordiam nostræ reuocatur: quia recolentes quid fuimus, intelligimus cui debemus quod sumus. Cantemus itaque cum gaudio creatori nostro, qui de seruitio creaturæ colla mentis excussimus. Gaudemus in nobis impletum esse, quod per Esaiam dictum est; & frenum erroris quæ erat in maxillis populorum, canticum erit vobis sicut vox sanctificata Solemnitatis. Frenum quippe erroris maxillas



illas populorum constrinxerunt, quando idolorum errore obligata Gentilitas, Deo vero confessionis laudem dare nesciebat. Sed hoc ipsum erroris frenum, iam nobis in canticum versum est, cum gaudent Psallimus atque cantamus: *Omnes Di genium Daemonia, Dominus autem caelos fecit.* Et ceterum: *simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt.* Qui itaque hæc omnipotenti Domino, psallendo dicimus; ipsum erroris nostri frenum; quod à laude Dei ora nostra ligauerat, vero Domino canticum fecimus. Bene autem dicitur, *sicut vox sanctificata solemnitatis* quia dum confessionis laudem Deo reddimus, in sanctificata solemnitate gaudemus. Respondeamus ergo moribus tantæ misericordiæ Redemptoris nostri; & qui lucem cognouimus, prauorum operum tenebras declinemus.]

259 Quorsum verò habentes limpidissimum fontem veritatis patentem, bibemus in via Ægypti aquam turbidam? Riui sunt turbidi sensus secularium & peruersa iudicia vnde peccata. Adde Petrum Damiani ser. 60. Torrens mori humani, & ipse est turbidissimus ac cœnosissimus. Vt quid ergo præliat quis eo cœno diluto prolui potius, quam limpidissimis purissimisque laticibus de Christi Saluatoris fontibus, vberrimè manantibus?

Eo porro temerius ardentiusque afficiemur erga fontem veritatis in Christo patentem quo liquidius perspicimus, quam nitens & preciosa sit veritas ex eo Christi fonte per nos hausta. S. Chrysostomus hom. addititia in illud ex 1. Corinth. *Nolo vos ignorare fratres*, egregie & luculenter veritatis in Christo nitorem ac depressionem præ veterum officis profecurus est, exponens quod dixerat, baptismum antiquum, esse figuram præsentis baptismi. [Si didiceris (inquit,) primum quid sit figura, & quid veritas, tunc & huius tibi rationes reddemus. Quid igitur est ymbra, & quid veritas? Age similitudinem ab imaginibus sumamus, quas pictores pingunt. Vidisti sæpè imaginem regiam veneto colore coloratam, deinde pictorem circumducere candidas lineas, & facere regem & seruum regium, & equos circumstantes, & lancearios & vinctos hostes, & subditos: Et cum hæc vides delineata & adumbrata, neque scis totum, neque ignoras totum, sed quod homo pingitur, & equus, obscurè cognoscis. Qualis autem sit Rex, & qualis hostis, non valde perspicue cognoscis, donec colorum veritas adueniens, certiore reddat visum. Sicut igitur in hac imagine, non exigit totum ante veritatem colorem, sed etiam obscuram quandam accipias cognitionem eorum quæ sunt, satis tamen picturam absolutam putas; sic & de veteri & nouo testamento senti, vt non omnem veritatis diligentiam in typo exquiras. Et poterimus te docere, quomodo verus ad nouum testamentum habeat cognationem; & ille transitus, ad nostrum

baptisma. Nam ibi aqua, & hic aqua; lauerum hic, & ibi pelagus. Omnes hic in aquam ingrediuntur, & ibi omnes. Iuxta hoc similitudo est. Postea vis cognoscere colorum varietatem: Ibidem liberati sunt ex Ægypto per mare; hic autem ab idololatria. Et ibi quidem Pharaon submersus est; hic autem Diabolus: ibi Ægyptij submersi, hic autem verus homo peccatis defoditur. Et vide cognationem figuræ ad veritatem, & veritatis excellentiam. Neque enim omnino alienum oportet esse typum à veritate, alioqui non esset typus: neque omnino adæquari veritati, quia alioqui, & veritas ipsa foret: sed oportet manere in suo modo, & neque comprehendere omnem veritatem, neque omni veritate destitui. Nam si totum contineat, iterum ipsa est veritas: si autem à toto destituatur, & nulla sit similitudo, consequenter non poterit esse figura; sed oportet vt partem quidem teneat, partem autem veritatis referret. Igitur ne in veteri, totum à me requitas; etiam si parua quædam & obscura accipis ænigmata, boni hoc consulas. Vbi igitur est æstinitas figuræ ad veritatem? omnes ibi, & hic omnes: Per aquam sunt ibi, & hic per aquam; à seruitute liberati sunt illi, & nos à seruitute liberati sumus: sed non ab eadem omnes. Nam illi quidem à seruitute Ægyptiorum, nos verò à seruitute Dæmonum: Illi quidem à seruitute barbarorum; nos verò à seruitute peccati. Ad libertatem venerunt illi, & nos: sed non ad eandem. Nam nos ad multo clariorem. Quod si maiora sunt nostra, & illis excellentiora, ne mouearis: hoc enim à veritate est, quod sit aliqua excellentia, sed non pugna, vel diuersitas cum figura.] Quod dixit de baptismatis antiqui ymbra, & noui veritate, æquè addit, comparans vtramque mensam & communionem Sacramentorum.

*Error Mopsuesteni, circa hanc primam Dei in Christo veritatem.*

260 Ceterum priusquam vterius progrediar, & veritatem in Iesu proditam quoad dicta, dimittam; dispellendus est vanissimus error Theodori Mopsuesteni quoad dicta prophetica, quatenus in Christo accipienda veritatem. Ex Theodoro ipso, illum errorem adscriptis variis ex eo locis fuse illustrat Franc. Turtianus in defens. 2. libri constituit. Clem. ad c. j. Vnus aut alter Theodori locus ad rem præsentem sat erit. Exponens ergo illud Ioëlis, *effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri*, &c. quæ S. Petrus actorum 2. de aduentu Spiritus sancti per Christum missi, est interpretatus, ait Theodorus, ea non esse à propheta ad litteram dicta de effusione Spiritus sancti, sed secundum historiam, & quoad sensum *ἐφ' ὅσον* qui in promptu est, & primum occurrit, dicta esse de rebus à populo feliciter gestis statim post liberationem à captiuitate Babylonica: ab Apostolo autem, spectato euentu, fuisse aptata ad fictam per Christum effusionem Spiritus sancti, eo quod hæc effusio bellè responderet rebus tunc gestis



gestis, haberetque cum eis similitudinem non modicam. Unde in ea effusione, verius quam in rebus de quibus primò pronuntiabantur, impleta censetur Iohannis verba. Hæc quidem, (inquit proposito eo quem dixi sensu Iudaico,) est horum verborum sententia *ἡ ἀποκάλυψις*. [Petrus verò differens cum Iudæis in aduentu Spiritus sancti, his usus est meritò. Siquidem lex vmbra habebat futurorum bonorum; & populo illi tam accuratè prospiciebat Deus, propter expectationem eorum quæ in Christi aduentu existerunt. Erant itaque quæ ad illos pertinebant parua omnia, & tanquam in vmbra facta, vt iam magnificentiora atque grandiora essent verba, quàm res ipsæ subiectæ, veritas verò rerum ipsarum, dictis ipsis par & æqualis in Christi aduentu habuit exitum, perductaque est ad effectum. Tunc enim omnia magna & noua, & verè admirabilia fuerunt; & quæ maximè, illa quidem quæ in lege gesta fuerant, superarunt. Vt iam illa vetera vice ænigmatis, hæc verò in Christo, veritas ipsa fuerint. Sic Dauid dixit de populo, *non est derelicta anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem*: quod quidè re ipsa completum in populo intelligi non potest, sed dicit metaphoricè, hyperbolicè scilicet liberatum fuisse populum à periculo & interitu; res verò & veritas eorum quæ dicta sunt, ipso Christo extitit, & demonstrata est, quando nec anima eius in inferno remansit, vt potè reuersa ad corpus per resurrectionem; neque corpus interitum vllum sustinuit. Immo non solùm non mansit vt erat cum est affectus morte; sed immortalis factus est, & ab omni interitu alienus: vt iam illud in populo, ænigma & vmbra fuerit, hoc verò in Christo, veritas ipsa. Ad eundem modum usus est his eisdem verbis Petrus in actis Apostolorum in aduentu Spiritus sancti, tanquam dicta essent antea, ratione quadam metaphoricè, id est translata; nunc autem ad exitum ipsius rei, & ad veritatem ipsam perducta sunt, vt maior nunc fides præsentibus adhiberi debeat, quàm illis superioribus admiratio tunc adhibita fuerit. Cum multa sunt huiusmodi in sacris libris, host est de illorum numero in quo Deus differens cum Iudæis per Prophetam, & colloquens vt solebat, promittebat se illis abundè & largè prouisurum, sicut expositum est. Quæ omnia vera vt dixi, extiterunt in Christo; quoniam sol verè obscuratus est, & luna cum eo, & multa tum in cælo, tum in terra facta sunt prodigia, & sanguis salutaris Christi Domini nostri effusus est, & ignis species ostensa, quæ aduentantis Spiritus vim, & energiam præ se ferebat; quem ignem antecessit vapor fumi, ad significandum supplicium eorum qui ausi fuerant Christum agere in Crucem: Tunc omnes facti sunt participes gratiæ Spiritus sancti communitatis, multis, variisque charismatibus. Alij animi Prophetabant; alij miracula faciebant plurima ad faciendam fidem iis quæ audierant, & ad coarguendos eos qui aliter de Christo sentiebant, vt iam quæ per Prophetam dicta fuerint translata,

& superlatè, siue hyperbolicè; nunc ad eò sunt in rem ipsam & exitum collata, atque perducta, vt verba sint infra res ipsas. Horum ergo & aliorum huiusmodi verborum, quæcunque de aliis rebus à Prophetis dicta, & ad æconomiam, id est ad aduentum Christi, Apostoli transtulerunt, & accommodarunt, hæc causa & ratio, meritò existimari potest; ne historia rerum illarum ficta esse videatur, & vt rerum præsentium magnitudo, ex comparatione illarum magis appareat; simulque ostendatur illorum cum his nostris affinitas; abesse tamen illa ab his tantum, quantum vmbra à corpore, quamvis similis esse videatur.]

Item Theodorus exponens dictum Zachariæ de Christo, *Ece Rex tuus veniet tibi mansuetus*, quod S. Mathæus de Christo Hierosolymam ingrediente est interpretatus, damnat summæ stultitiæ, ea verba accipere partim de Christo, partim de Zorobabele, de quo vult & ad litteram esse prænuntiata, subditque quomodò ad Christum transferri poterint. [Vera autem sententia illa est quàm supra memini dixisse; nempe quòd lex vmbra quandam continebat eorum omnium quæ ad Christum pertinebant. Multa igitur eorum quæ admirabiliter & præter omnium opinionem siue in populo, siue in viris ad res aliquas gerendas electis, facta sunt, scriptura narrat hyperbolicè verbis ipsis primo aspectu veritate carentibus, in ipsis illis rebus in quibus exponendis posita sunt. At tunc deprehenduntur esse vera, cum comparantur cum ipso Christo, ad eumque referuntur, qui cum in omnibus vmbra legis cessare fecerit, veritatemque introduxerit, meritò huiusmodi etiam verborum veritatem declarauit.]

## Eucritur.

261 Hic Theodori error, profectus est ex nimio literæ studio; & ne absonas in speciem intercessionem in Prophetis admitteteret, Damnatus verò est à Vigilio Papa in Synodo Romana, vbi definitum est, Prophetias directè & vt Theodorus loquebatur, *κατὰ πρῶτον λόγον* de Christo in quem rectè Prophetæ fectrentur esse accipiendas, nec sitis esse allegorias & typos sensui historico superstructos admittere; sed verè κατὰ λέξιν (vt ait Clemen. Romanus 1. constit. cap. 5.) Prophetas de Christo plerique protulisse, sicque esse in Christo exhibitum, veritatem, quia impleta sunt in eo Prophetiæ illæ, non per accommodationem euentus, & similitudinem vel illustriorem expressionem. Certum quidem est, in veteri Testamento plerique ad litteram dici de rebus illius temporis, quæ spiritualiter & mysticè Christo aptantur, habueruntque se vt vmbra & imagines præiæ: V.g. casus Ionas, & exaltatio serpentis in deserto, & alia quæ in figura contigisse populo affirmat Paulus. Sed præterea multa sunt in Prophetis, quæ directè, & non sub ratione vmbrae ac sensus mystici inædificati alteri sensui histo



historico, de Christo sunt dicta, & in eo veritatem habent, etiam quoad literam, cuiusmodi sunt varia loca in eo Concilio Romano sigillatim prolata, & sub anathemate iussa de Christo & non de alio quippiam derecte accipi; contra quam statuebat Theodorus, in auctoritate plura Turrianus ibid. & Pineda 5. de Salom. c. 19. nequicquam Theodorum purgare nitente Facundo lib. 3. pro tribus capit. cap. 6. Præter Theodorum, alij Prophetis de Christo sunt aduersati. [Sunt enim plures hæretici inquit Origenes hom. 17. in Lucam] qui asserunt, Christum à Prophetis penitus non fuisse prædicatum. In hos æque cadunt, quæ in Theodorum intorquentur. Disputat in eos plene Origen. rom. 5. in Ioannem ad illud *hic venit in testimonium*. Breuiter S. Hilarius in Psal. 54. ad illud *ecce elongani fugiens*.

*Altorum extremus error, reiectus.*

262 Porro vt horum nimius literæ occidentis amor, cauendus est, ita in altero extremo, nec minus declinando sunt alij, qui vniuersum vetus Testamentum ad minimas vique particulas, de Christo esse intelligendum tanquam figuram de figurato, contendunt. Quam in rem vulgo profertur illud ex 1. Cor. 10. *omnia in figura contingebant illis* Græca vox, plurali numero *typos* habet, ita vt esse sensus videatur, *hæc omnia tanquam figura seu typi contingebant illis*. Consonante quod ait D. Augustinus 22. contra Faustum cap. 24. præcorum Patrum non linguam modo sed & vitam, fuisse Prophetiam, & totum regnum Hebræorum, magnam quandam, quia & magni cuiusdam, fuisse Prophetam, Vera tamen & ipsi D. Augustino 17. Ciuit. cap. 3. egregie probata sententia est, quam optime tradunt Corneus ad idem caput, Serarius in prolog. Biblioth. cap. 21. quæst. 8. Bellarm. lib. 3. de verbo Dei à cap. 3. Salmeron tomo 1. à prolegom. 8. Sandæus lib. 2. Theolog. Symbol. comment. 3. exercit. 2. Scholastici plerique 1. part. quæst. 1. art. 10. nominatimque Mol. Valq. Valentia. Nimirum non ita abiiciendum esse literæ corticem, vt omnes planè quantuncunque minimæ veteris Testamenti particulae, de Christo sint: in quo iam olim apud plerisque malè audiit Origenes, qui semper est mysticus. Quanquam ipsemet supponendum esse literalem sensum non semel obseruat, & nominatim hom. 13. in Exod. & hom. 2. ac 11. in Leuit. sed neque ita exsuccam esse quancunque literam veteris Scripturæ, vt nullibi Christus præannuncietur, & præfiguretur. Vniuersè ergo ac generatim, vetus testamentum continet Christi typos, & omnia quæ in eo traduntur, vel de Christo sunt dicta, vel propter ipsum, vt habet D. Augustinus 12. contra Faustum cap. 7. Minutæ tamen confectandæ non sunt sollicitiùs, & in Scripturis humano modo confectis, permittendum est vt aliqua humano modo se habeant, nec omnia sunt habenda sic facta mysteriis, vt nihil prorsus vacet mysterio, & Christi præ-

significationibus. Idque nequaquam ferunt illa verba Apostoli, quæ vulgo circumferri in eum sensum referebam. Vt enim benè aduertit Valsques 1. part. disp. 14. cap. 6. eodem sensu, & eadem typorum voce, in Græco textu adhibita, Apost. ex illo dixit, *Hæc in figura facta sunt nobis*, (agens de exemplo nobis statuto in caligacione iniquorum antiquorum,) quæ ibidem ait, *omnia in figura contingisse Hebræis*. Sicut ergo dicens pœnas quas antiqui illi exceperunt in nostri figura factas esse, significauit eas factas nobis esse in exemplum vitæ, prout etiam eum locum legit Tertull. 5. contra Marcio. cap. 7. Sic omnia in figura contingebant Iudæis, id est ex omnibus exempla decerpere & proficere possumus; licet non omnia, etiam minutissima, fuerint Christi & rerum eius adumbrationes.

263 Dignus est Ildorus Pelus. cuius hic iudicium adscribam ex lib. 2. epist. 195. Qui vniuersum vetus Testamentum ad Christum transferre conantur, reprehensione minime carent. Siquidem & Gentilibus & hæreticis illis qui id repudiant, in sua aduersum nos concertatione robur suppeditant. Nam dum ea quæ de ipso minime dicta sunt, per vim intorquent, hoc efficiunt, vt quæ de eo haud quaquam confortè dicta sunt, in suspicionem veniant. Per quæ enim illi, hos vt verborum sensum intorquentes evertunt, per eadem in his quoque quæ perspicue de eo dicta sunt, superiores esse existimantur. Ego verò necessariò vtrumque contigisse aio; nempe, nec cuncta de ipso dicta esse, nec rursus de eo nullum omnino sermonem habitum fuisse. Hoc enim conducebat, vt nec omnino de Christo apud eos homines, qui de Deo etiam ac Patre ambigebant, ac dicebant, *fac nobis Deos*, verba fierent; nec rursus, tum ad conuincendos Iudæos qui fidem minime adhibebant, tum ad eorum qui credituri erant, confirmandam spem, omnino sileretur. Quod non minus eleganter repetit rursus lib. 3. Epist. 33. 9.

264 Quod si interdum quidam Patres, aiunt vniuersum vetus Testamentum præsignasse Christum, accipiendi sunt de maxima parte Scripturæ antiquæ, non autem de omnibus eius minutis. Sic accipio illa Antiochi in præfatione ad suas homilias. [Vt tela ex multis conflata staminum particulis, in vnâ & impartibilem arte textoria coalescit tunicam; sic & vniuersa scripturæ diuinitus inspiratæ oracula, in hunc finem conspirant, planè vt dominicæ dispensationis inconfutibilem tunicam præsignarent, quam ex vtero suscepit gloriosæ ac sanctæ Deiparæ semper Virginis Mariæ.] Hoc ipsum voluit S. Augustinus, oratione de quinque hæresibus cap. 7. cum in Transfiguratione, Moysen & Eliam Christo assistisse tradit, vt significaretur legem & Prophetas ad Christum spectasse. Ecce (inquit) apparuerunt illis Moyses & Elias, cum eo loquentes. Quid sunt Moyses & Elias nisi lex & Propheta? loquebantur cum illo quia loquuti erant de illo; ostendebant quæ prædixerant, manifestabant quem prophetauerant.



uerant, loquebantur putas, quid loqueban-  
tur? Ut Iudæi conuincerentur, Pagani con-  
uerterentur, Manichæi confunderentur,  
hæretici comprimerentur, catholici confir-  
marentur. Loquebatur lex & gratia, lenitas &  
asperitas, terror & mansuetudo, præceptum  
& adiutorium, fermentum & medicus, um-  
bra & lux, præco & iudex, sententia & mis-  
ericordia. Legem & prophetas Christum  
prænuntiantes, tam multiplici periphrasi cir-  
cumloquitur, non ut omnes legis & prophe-  
tarum apices de Christo fuisse significet, sed  
tantum (ut indefinita eius oratio docet,) *maxima ex parte*. Idemque sensus est illorum  
eiusdem Augustini verborum lib. 12. contra  
Faustum cap. 27. [Christus mihi ubique illo-  
rum librorum, ubique illarum scripturarum  
peragranti & anhelanti, in sudore illo dam-  
nationis humanæ; siue ex aperto, siue ex oc-  
culto occurrit & reficit. Ipse mihi, & ex non-  
nulla difficultate inuentionis suæ, desiderium  
inflammatur, quo id quod inuenero, auidè for-  
beam, medullisque reconditam, salubriter  
teneam.]

Illud non incommode dici potest, in lege  
& Prophetis, omnia esse grauida Sacramentis  
quatenus omnia ad Christum, vel ad aliqua  
eius adiuncta v.g. Ecclesiam, accommodari pos-  
sunt. Quæ ratione S. Ambrosius lib. 3. de Spi-  
ritu sancto, cap. 22. illud, Ezechielis de rota in  
medio rotæ, sic est interpretatus. [Rotam  
intra rotam vidit Propheta currentem, quod  
vtique non ad corporalis refertur speciem vi-  
sionis, sed ad vtriusque gratiam Testamenti,  
eo quod teres vita Sanctorum sit, & ita sibi  
concinens, vt superioribus posteriora respon-  
deant. Rota igitur intra rotam, est vita sub  
lege, vita sub gratia; eo quod Iudæa intra Ec-  
clesiam sit, lex intra gratiam; Nam intra Ec-  
clesiam est, qui Iudæus est in occulto, & cir-  
cumcisio cordis intra Ecclesiæ Sacramentum  
est. Sed illa Iudæa intra Ecclesiam, de qua scri-  
ptum est; *Notus in Iudæa Deus.*]

*Secunda Dei in Christo veritas,  
quæ promissorum.*

265 Sequitur veritas promissorum, ratio-  
ne cuius Christus quoque est *Amen* & veri-  
tas Dei. Quotquot enim promissiones Dei, in illo  
sunt, vt ex Apostolo initio dicebamus: *ideo  
per ipsum amen Deo ad gloriam nostram*. Pro-  
miserat nimirum Deus antiquis Patribus,  
contritionem capitis serpentis, destructio-  
nem peccati, mortis abolitionem, omnium  
denique malorum quæ Satanae malignitas &  
protoplastorum delusa imbecillitas mundo  
immiserat, depulsionem. Et in summa tem-  
pus ante Baptistam, fuisse tempus promissio-  
num, admonuit S. Augustinus præfat. in psal.  
109. Richardus porro Victorinus lib. 1. de  
Emman. cap. 11. diuina promissa antiqua, ad  
tria capita reuocauit secundum triplex dam-  
num quod homo subierat; nempe ad pro-  
missum recuperandæ immortalitatis, dignita-  
tis, & beatitudinis. Omnibus illis promissis,  
abundè à Deo satisfactum esse per Christum,  
docet ibid. Richardus. Sicque fuit Christus  
adiuens, *Amen Dei*, & veritas Dei, constans

& rata. Quod Rupertus lib. 4. de victor. veri-  
tati Dei cap. 21. egregiè aperit, expressum esse ab  
Apostolo Rom. 1. cum veritatem Dei *reuelari*  
dixit, *de fide in fidem*. Præfatus enim antec-  
edenti capite Rupertus, Deum iustificari in  
sermonibus suis, & vincere cum iudicatur,  
quia mutabilis non potest argui, & quod pro-  
misit, per Christum est executus, subdit ad  
hoc confirmandum. [Quam aliam iustitiam  
Dei putamus in Euangelio reuelari, sicut  
Apostolus dicit: *Iustitia enim Dei in eo reuelatur  
ex fide in fide*, sicut scriptum est, *Iustus autem  
ex fide vivit*? Iustitia Dei, Incarnatio est filij  
Dei, qui factus est ei ex semine David secun-  
dum carnem. Incarnatio inquam, vel aduen-  
tus Iesu Christi, filij David, filij Abraham.  
Hæc iustitia in Euangelio reuelatur. Nam  
parua est hæc iustitia Dei? Non parua sed  
verè magna, & valdè laudabilis; quia per il-  
lam incarnationem, dum sit ex semine David,  
iustificatur Deus in sermonibus suis imple-  
do, quod promissit, custodiendo quod iurauit  
Deus verax & fidelis. Attende perpulchrum  
huius iustitiæ definitionem. *Iustitia* (inquit)  
*ex fide in fidem*. Cuius ex fide, nisi eius qui  
promissit, qui iurauit? Cuius in fidem, nisi  
eius qui promittenti credidit, qui iuramen-  
ti fidem adhibuit, scilicet Abraham, siue  
David?]

Intelligo vix fuisse, cur vnum hunc locum  
ex eo Ruperti opere desortatum, cum vniuer-  
sum ad hoc spectet, vt fidem lectoris faciat,  
Dei promissa, quocumque contra niteat, &  
quibusvis per Satanam eiusque emissarios  
appositis obicibus, perstare tamen inconcul-  
sa, nec vllam vim aduersam, quantacumque  
sit, obstat posse ne implentur. Quod enim  
in libri primi præmio ad Canonem Abbatem  
scribit, hoc suscepit eo libro demonstrandum  
Non Amanem, non Antiochum, non alios per  
quos id agebat Satanas vt peteret genus il-  
lud de quo Verbum carnem assumere ad sa-  
lutem humani generis proposuerat, frustrari  
potuisse diuinum promissum. Sed ei abundè  
in Christo esse satisfactum, propterea quæ ope-  
ri titulum fecit, *de victoria verbi Dei*. Idem  
argumentum de Christo omnia Dei promissa  
explente, versauit diligenter ac sigillatim S.  
Prosper, in opere de promissionibus Dei,  
quod qui ei abiudicare nixus est Sotellus in  
præfatione ad ipsum Prosperum abs se edi-  
tum, baculo planè arundineo folius est, silen-  
tio nimirum Gennadij & Trisheimij, dum  
Prosperi scripta recensent hoc opus omitten-  
tium; & styli dissimilitudine. Quæ ar-  
gumenta quanti sint, alibi expendo. Autor in di-  
midio temporis cap. 6. & p. 2. cap. 8. vtrius-  
que ætatem suam bis prodit. Et vt Prosper  
non esset, inde habetur antiquum esse leni-  
torem, & S. Leonis æqualem. Crebra verò

D. Augustini in eo opere allegatio  
atque laudatio, non obscure  
prodit parentem Pro-  
perum. Sed de  
his alibi.

\*\*\*

Ex fide



Exsolutio promissorum per Christum,  
extensior promissione.

266 Neque verò ij duntaxat quibus promissiones factæ fuerant, effectu eorum sunt positi; sed ulterius quoque pervasit benignitas. Idque in promissionibus solemne est Deo, ut non contentus stare pollicitis, ea quoque excedat. Illustre est exemplum, quod D. Augustinus serm. 99. de temp. in eam rem proferit in hunc modum. [ Diligenter attendite fratres, quia vnum promissit Deus futurum in virga, sed plura dedit. Verum est fratres. Consecuturidinis suæ rem fecit Dominus noster. Semper enim maiora tribuit, quam promittit. Et erit, ( inquit, ) homo quemcumque elegero, virga eius germinabit: hoc est solum quod promissit Deus, ut virga eius quem eligeret, germinaret. Vbi verò ad rem venit, ut quod promissum est ostendatur impletum, non vnum illud quod promissum fuerat effectum dicitur, sed vide quanta addeantur. At enim Scriptura. *Ecce germinavit virga Aaron in Domo Levi.* Hoc est vnum illud sine dubio quod fuerat repromissum. Sed adduntur alia & dicitur; *Et produxit frondes, & protulit flores, & germinavit nubes.* Cum ergo de solo germine fuisset repromissum, vide quanta largitur Deus, ut non solum germen produxerit, sed & frondes; & non solum frondes, sed & flores; & non solum flores, sed & fructus. Idem de personis quibus facta fuerit diuina promissio, dicere licet: nempe non ibi stare Deum, sed quasi exultante misericordia, ad alios quoque fructum benignitatis suæ protensum velle. Quamvis ergo solis Patribus promissus fuisset Christus, & respectu duntaxat eorum, Christus fuerit *amen Deo*, & veritas exhibitæ; tamen in alios quoque commodum promissionis illius expleta est derivatum. Quod Apostolus Roman. 15. his verbis tradit. *Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum.* Gentes autem super misericordia honorare Deum. En Christum veritatem Dei quoad nepotes Patrum qui promissionem acceperant: Eiusdem verò veritatis & promissionis fructum extensum ad gentes, quibus Deus nullo promisso obstrictus erat.

Pj affectus ex impletis per Christum,  
Dei promissionibus.

267 Hic si Christianis sæculis gratulatus fuero, expletionem promissorum ad quæ anteriores ætates, tanto studio, tamque incenso affectu suspirauerant, rem fecere tanto ante ab Apostolorum Principibus grauissime inculcatam primis fidelibus. Proposuerat S. Petrus epistolæ primæ cap. 1. Christum fidelibus, tum subdit. *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophete, qui de futuro in nobis gratia prophetauerunt, seruantes in qua vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi prænunciatus eas quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias, quibus reuelatum est quia non sibi metipsis, vobis autem ministrabant*

ea quæ nunc nuntiata sunt vobis. Non potuit accuratius studium antiquorum Patrum prodere circa promissam salutem, siue Christum: quandoquidem expendit eos exquisuisse atque scrutatos esse, id est diligentissime rimatos, quod fore beatum illud æuum aduentus Domini. Et tamen acceperunt diuinum responsum, fore scilicet ut ipsi abirent vacui, nec tantorum bonorum diuinitus promissorum exhibitione fruerentur. Paulus non minore cum emphasi, Hebr. 11. fatigatam longa expectatione antiquorum Patrum spem, nec expletam, his verbis prodidit. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes & saluantes.* Vides saluationem SS. Patrum, ad ostentationem tanti boni, ac tam pinguium Dei promissorum. [Qualis putas, ( ait Rupertus l. 10. de victor. verbi Dei cap. 11. ) tunc mentis habitus iustis animabus, erat? Quos autem illius temporis iustos esse dixerim, nisi illos qui fidem & spem, siue expectationem habebant promissionis ad Abraham, promissionis ad David, iuramenti ad Abraham, iuramenti ad David? Qui videlicet David fidelis, Deum fortiter tenens, *miserere mei*, dixit, *ut iussis, ceteris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Talium vnus vel notissimus de tempore illo Simcon nobis extitit, qui in hac fide declinando, & requitendo veritatem Dei, veritatem promissionis, in qua Deus maior homine, sponte hominibus iurauit, responsum accipere meruit, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Dominum.]

Et mox, cum celebrasset alias plerasque piæ animas, eodem æstuantis desiderio expletionis promissorum diuinorum, Zachariam scilicet Elizabethâ, Annam Prophetissam, & alios quorum laus est in Euangelio, subdit. [ Clamabant animæ multæ, quatenus in sermonibus suis verax & fidelis Deus appareret. Existimo quod mulier illa in utero habens, ut sæpè dictum est, nullo vnquam tempore magis parturiendo clamauerit, nunquam magis, ut pateret, cruciata fuerit. Nolo autem viuentes in corpore fideles illius temporis homines solos, debere intelligi corpus illius quam dicimus mulieris in utero habentis. Immo vniuersa dierum vel sæculorum Ecclesia, etiam apud infetos beatam spem expectantium huiusmodi desiderij clamores emittebat. Et hæc vniuersitas, propter vnam eandemque expectationem, vna mulier in utero habens existerat.]

268 Nec per humanum duntaxat clamorem quantumcumque, ac ut parturientis esse solet; sed per rugitum onagri, & bouis famelici mugitum, hæc desideria exprimit Iob cap. 6. verbis illis, *nunquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?* Onager enim eo loco, ut interpretatur S. Gregorius 7. mor. cap. 4. gentiliū populū signat: quem sicut naturā extra stabula disciplinæ edidit, ita vagus in voluptatum suarum campo permansit. Bone autem expressi sunt Hebræi, iugo legis pressi. Vtrorūque fames in herbam & fœnum carnis nostræ Verbo coniunctum, acuebatur in dies magis. Vtrique in præsepe plenum & promissam



promissam refectionem ardentissimè suspirabant. [Sed quia dici (ait S. Gregorius,) & electorum Gentilium vota dilata sunt, & ex Hebraico populo sancti quique longo tempore redemptionem suam expectando, gemuerunt; benè Beatus Iob, prophetia mysteria enarrans, ex utraque natione causas afflictionis insinuat, dicens: Numquid rugiet onager cum habuerit herbam; aut mugiet bos cum ante præsepem plenum steterit? Ac si aperte dicat. Idcirco gentilitas gemit, quia eam nec dum Redemptoris sui gratia relicit: atque ideo Iudæa mugitus dilatat, quia legem tenens, sed legis auctorem non videns, stans ante præsepem ieiunat.]

Tanto actu conceptorum, tantoque affectu ingeminatum desideriorum fructum, ne quicquam ab antiquis captatum, nos tenemus. Illi concepti non viderunt lucem, quia ut ait S. Gregorius 5. moral. cap. 37. [Ad aduentum Incarnationis Dominicæ, quamvis hanc fideliter crederent, peruenire nequiverunt. Incarnatus quippe Dominus, dicit: Ego sum lux mundi. Atque ipsa lux ait: multi propheta & Iusti desiderauerunt, videre quæ videris, & non viderunt. Concepti igitur non viderunt lucem: quia ad spem venturi Mediatoris, apertis Prophetarum vocibus excitati, nequaquam potuerunt cernere eius Incarnationem. In his itaque conceptus interitus formam fidei edidit; sed hanc vsque ad apertam visionem diuinæ præsentia non perduxit: quia prius hos à mundo mors interueniens rapuit, quam manifesta veritas mundum illustrauit.]

269 Nos feliciter diuino beneficio editi, quæ illi cupierunt videre & non viderunt, conspicimus & perspicimus oculis nostris, & manibus contrectamus, iuxta dilecti discipuli mellitissimam vocem; veritate manifesta fruimur; diuinorum promissorum exsolutionem non vltra quarimus, sed tenemus. Quanta hac gratulationis materia, quanta lætitiæ segies quantum gratiarum argumentum? Expectantur sanè antiqui Dominum, expectantes ut David psal. 39. de se dixit; quamuis remera expectare potius quàm expectasse dicendi erant, ut notat ad eius psalmi initium S. Ambrosius qui addit. [Gratias igitur Domino Iesu, vnigenito Dei filio, redemptori nostro, qui nobis peccata omnia remissurus descendit à celo, ut nos de lacu ac limo istius mundi, & ænulentæ quadam palude terrarum, de corpore quoque mortis huius eriperet, atque in carne sua statueret animi nostri interiora vestigia.]

Egregiè insuper in hanc rem vniuersam philosophatur Rupertus lib. 1. in Matth. in fine. [Igitur (inquit,) natus est Christus, & in natiuitate eius, fidelis & verax comprobatus est, ipse qui promissit Deus. Gratulamur omnes dicentes cum psalmista, Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Item: Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide. Quotquot enim promissiones Dei sunt, (ait Apostolus,) in illo est, ideo & per ipsum dicimus, Amen Deo ad gloriam vestram. Verè ad gloriam vestram. Quodammodo superatus est Deus, licet fortior; &

vicit volentem vinci fortis colluctator; nō sit per fidem pater Iacob. Quod dicimus, ita scriptum est: cumque mature surrexisset Iacob, & transisset omnes remanentes solus, ecce vir luctabatur cum eo vsque mane: qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit remum femoris eius; & statim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimite me, iam enim ascendis aوريا. Respondit: non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et ille: Si contra Deum inquit, fortis fuisti, quanto magis contra homines praualebis? Et benedixit ei in eodem loco. Dixitque Iacob: vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Iuxta magnum & mirum illud prælagium, factum est nascente Iesu Christo, & victor inuentus est homo, siue genus Iacob, promissum exigens à Deo, & quasi iure superatus est Deus, promissum sui debitor. [Addit, hoc expleto promisso, emacuisse neruum femoris Iacob; id est, distinctionem tribuum & [qq. Genealogicas quæ vnum Christum spectabant, euasile inanes ac vanas.]

Claudo cum S. Bernardo serm. 2. in Cant. initio. [Ardorem desiderij parum suspirantium Christi in carne præsentiam, frequentissimè cogitans, compungor, & confundor in memetipso, & nunc vix contino lachrymas; ita pudet teporis, torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum, tantum ingerat gaudium gratia huius exhibitio, quantum veteribus sanctis, accendat desiderium promissio? [Petrus Belesensis serm. 7. initio, ex hac diuinorum promissorum tamdiu dilata expleione quæ omnes retro iustos fatigauerat, silentium omnibus Prophetis deinceps indicit, quia factio promissio, impossibile est promittentibus silentium. Vox ergo exultationis & salutis de executione tamdiu procrastinata promissionis, in solius Ecclesiæ Christianæ tabernaculo audita est, de qua proinde exultationem bonis collatis congruentem, præter affectus prædictos, dignum est concipere. Egregiè idem colligit Guericus serm. 1. de Annunc. ex tanto veterum gaudio de Christo, damtaxat promissio. Quam enim par est, auctius gaudere de exhibitio.]

### Tertia Dei in Christo Veritas, ab aliis typis, & vmbri.

270 Reliqua est veritas tertia in Christo prodita, depulsis typis ac velaminibus quibus omnia ante Christum obducebantur. Sic enim S. Cyrillus lib. 3. graphyr. pag. 307. ait esse accipiendum illud Christi de seipso. Ego sum veritas, id est (inquit) [legalium typorum & figurarum impletio.] Vmbra enim lex habuit futurorum bonorum non ipsam veritatem expressam ac solidam quam nos tenemus. Tamen namque præfata non delituebantur veritate, tamen eam obvolutam habebant tot regiminibus figurarum, ut non pateret: cum apud nos, sola & nuda veritas proponatur. Quo Origenes hom. 6. in Leuit. sub initium, egregiè refert quod Aaronico Pontifici duplicis tunica vsus mandabatur, qui est Apptolis vetitus [Pontifex est (inquit,) qui scientiam legis tenet, & vniuersosque



causque mysterij intelligit rationes. Et vt breuiter explicem, qui legem & secundum Spiritum & secundum litteram nouit. Sciebat ergo Pontifex ille quem tunc ordinabat Moyses, quia esset circumcisio spiritalis, seruabat tamen & circumcisionem carnis, quia nisi circumcisus Pontifex esse non poterat. Habebat ergo iste duas tunicas. Vnam mysterij carnalis, & aliam intelligentiæ spiritalis. Sciebat quia & sacrificia spiritalia offerri debent Deo; offerebat tamen nihilominus & carnalia. Non enim poterat esse Pontifex eorum qui tunc erant, nisi hostias immolaret. Ita ergo conuenienter ille Pontifex duabus indutus tunicis dicitur. Apostoli verò qui dicturi erant, *quasi circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, & qui dicturi erant, *nemo vos inducet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenia, aut Sabbato, quæ sunt umbra futurorum*; isti ergo vt huiusmodi secundum litteram legis obseruantias penitus repudiarent, nec occuparent discipulos Iudaicis fabulis, & imponentur his iugum, quod neque ipsi, neque patres eorum portare potuerunt, merito duas tunicas habere prohibentur, sed sufficit eis vna, & hæc interior. Nam ista quæ foris est, & quæ desuper apparet, legis tunicam nolunt. Vnam namque eis Iesus, & ipsam interiorem habere permittit.]

En igitur quomodo apud solos nos est veritas explicata & patens, quia vbi Spiritus Domini per Christum inuectus, ibi libertas intelligentiæ, prout Apostolum optimè interpretatus est Origenes hom. 9. in Iosue. Egi plenè de eo loco, eiusque germano hoc sensu, excutiens nouam libertatem p. 1. cap. 8. num. 5. Nunc addo breuiter Rupertum l. 4. in Exod. cap. vlt. [Quod posuit Moyses velamen super faciem suam, quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo illud auferebat, si quando autem loquebatur ad filios Israel, operiebat rursus faciem suam, eius rei prælagium fuit, quam totus nunc orbis agnoscit. Quia videlicet dum loquitur Moyses ad Christum, id est ad Euangelicam Ecclesiam, in qua Christus est, tollit velamen suum, & apertam ostendit faciem. Tollit enim litteram occidentem, & spiritum promit viuificantem. Vbi autem legitur in Synagogis Iudeorum, operit vultum suum, id est spirituales legis sensum. Illi enim propter autem blasphemiarum suarum vitulum, oculos perdidit, & claritatem veritatis sustinere non possunt. Nam in his qui pereunt, (inquit Apostolus,) *aperit est Euangelium, in quibus Deni huius sæculi sapientum excæcavit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij Christi, qui est imago Dei*.] Has fuisse vmbatarum præformationes ante inditos colorum flores, pulcherrimè tradit, &

variis exemplis illustrat Basil.  
Seleuciz orat. 13. quæ  
est de Iona, sub  
initium.

\*\*\*

*Solida Euangelica veritas, discussis  
vmbis, firmata.*

271 Videri posset refutatus ex parte S. Ambrosius in psalmum 38. ad illud in imagine pertransit homo, quod de Christo interpretatur, in qua non emortua sed viua imagine, ambulant sancti omnes qui hic peregrinantur. Subdit verò. [Primum igitur vmbra præcessit: secuta est imago: Erit veritas, Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus. Vmbra Euangelij & Ecclesiæ congregationis in lege: imago futura veritatis, in Euangelio; veritas in iudicio Dei.] Agnoscit ergo S. Ambrosius etiam nunc vmbas intercludere plenam veritatis lucem.

Hæc tamen S. Ambrosij sententia, nequaquam referenda est ad exclusionem veritatis per Christum factæ, quasi etiam nunc Ecclesiæ veritate careat, & imagines adumbratas conseruetur, vt olim factum in lege. sed referenda est ad fruitionem diuinæ essentiae, quam hic non assequimur, discussis licet vmbis, & veritate bonorum quorum præsens status capax est, exhibita nobis, absque figuris ac adumbrationibus, & perfectæ picturæ rudimentis informibus, Quod aperte ferunt ista quæ continenter addit S. Ambrosius. [Ergo quæ nunc celebrantur in Ecclesiâ, eorum vmbra erat in sermonibus Prophetarum: vmbra in diluio, vmbra in rubro mari, quando baptizati sunt patres nostri in nube & in mari. Vmbra in petra quæ aquam fluxit, & populum sequebatur. Nonne illud in vmbra erat, Sacrosancti huius mysterij. Sacramentum? Nonne vmbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quæ fugientes se populos sequebatur vt biberent, & non sitirent: redimerentur, & non perirent? sed iam discessit vmbra noctis & caliginis Iudeorum: dies appropinquauit Ecclesiæ. Videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona.]

272 Videretur S. Ambrosius hoc loco, vix sæpe alibi, strictim expressisse quod diffusius tradit Origenes hom. 10. in Leuit. initio. [Est ergo lex, (inquit,) & omnia quæ in lege sunt, secundum Apostoli sententiam vsque ad tempus correptionis imposita. Et sicut hi quibus artificium est signa ex ære facere, & statuas fundere, antequam verum opus artis producant, aut argenti, vel auri, figmentum prius luti ad similitudinem futuræ imaginis formant; non quod figmentum necessarium sit, sed vsquequo opus quod principale est, expleatur: cum autem fuerit effectum opus illud propter quod figmentum luti fuerat formatum, vsus eius ultra non queritur: Tale aliquid intellige etiam in his, quæ in typo & figura futurorum in lege & prophetis, vel scripta, vel gesta sunt. Venit enim ipse artifex & auctor omnium, & legem quæ vmbam habebat futurorum bonorum, transiit ad ipsam imaginem rerum. Sed ne forte difficile tibi probati posse quæ dicimus videatur, te cognosce per singula. Erat prius Hierusalem vrbs illa magna regalis, vbi templum sumo-

lissimum

Q



sumum Deo fuerat extractum. Postea vero quam venit ille, qui erat verum templum Dei, & dicebat de templo corporis sui, *soliue templum hoc, & quia celestis apparuit: in templo illo non remansit lapis super lapidem ex quo verum templum Dei, facta est caro Christi.* Erat prius Pontifex sanguine tauro- rum & hircorum purificans populum: sed ex quo venit verus Pontifex, qui sanguine suo sanctificaret credentes, nusquam est ille Pon- tificex prior, nec ullus ei relictus est locus. Al- tare fuit prius, & sacrificia celebrabantur. Sed ut venit verus agnus qui se ipsum hostiam obtulit Deo, cuncta illa, velut pro tempore posita, cessauerunt. [S. Gregorius hom. 6. in Ezech. post S. Ambrosium lib. 3. de Spiritu sancto cap. 22. hoc esse ait, quod Ezech. ro- tam conspexit in medio rotæ. Eodem S. Gre- gorio interprete 29. moral. cap. item 29. & S. Augustino serm. 100. de temp. hæc sunt dico Cherubin, apposita propitiatorio. Astipulan- tur illa Giselberti cap. 12. altercat. *sub finem.* [Quidquid in antiquis egit forma figuralis, ratio quadam obumbratilis in nobis rescul- pitur, luce vel ordine veritatis. Denique Guericus Abbas serm. 4. de Natiuit. Dom. causam cur Apostolus nouæ legis tempus vo- ceret *plenitudinem temporis*, hinc repetit, his præter cætera. [Hanc & adultam, ac plenam ætatem fidei, vocat Apostolus, *plenitudinem temporis*: quando scilicet hi qui sub pædago- go legis erant, nihilque à seruo differebant dum erant paruuli, iam adulti libertatem fi- liorum receperunt per Vnigenitum Patris. Qui nimirum vt nulla plenitudo suo deesset tempori, plenus tam gratia quam veritate venit: quatenus & per gratiam impleri face- ret legis mandata, & per veritatem impleteret ipse promissa: adeo vt quicquid etiam vni- uersis retro sæculis mysticè gestum, aut di- ctum fuit, totum verius ac plenius impletum sit in hac plenitudine temporis. [Nam & hic ipse dies, tot Sacramenta, tot oracula, quasi recapitulata in breui hodie exhibuit, vt de eo vere dici possit, *consummatus in breui, expleuit tempora multa.*]

*Antiquos omnes, sub nube, &  
in typis.*

¶ 273 Est ergo veritas in Iesu, vt Apostolus contestatur Ephes. 4. Est inquam in eo veri- tas, quæ in anteriorum quantumvis subli- mum Sanctorum nullo, etiam si Patriarcha, etiam si Propheta locum habuit, ait ibi S. Hieronymus. Omnes enim typis & ænygmaticis adumbrationibus distenti sunt, donec ad Christi noui solis aduentum, caligo & tene- bro depellerentur. Quod ibidem S. Hiero- nymus perpulchrè obseruat, expressum in Christi transfiguratione [vbi & vestimenta eius, id est scripturæ quæ de eo annunciant, immutantur: & Moyses quoque & Elias, id est lex & Prophetæ, videntur in gloria. Quan- diu Dominus formam serui non mutat, nec ascendit in montem, lex in sordibus, Prophe- tæ in squalore versantur. Cum ille ad supe- riora conscenderit, & vestimenta sua volue-

rit immutare, intellectusque de seruo fuerit clarus & liber, tunc Moysi quoque & Eliæ, & facies & vestimenta mutantur. [Hæc est ve- ritas Dei in Christo reuelata manifeste, citra typos & officias ac vmbas veteris legis.

Et est quidem semper lex conformis Evan- gelio illudque adumbrans, & inde lucem ac collustrationem accipiens, quod in eodem Transfigurationis mysterio expressum liqui- dè esse, egregie tradidit Orig. hom. 6. in Le- uit. initio, verbis illis. [Vis videre quia Moy- ses semper cum Iesu est, hoc est lex cum Euangelis: Docet te Euangelium, quia cum transformatus esset in gloriam Iesus, etiam Moyses & Elias simul cum ipso apparuerunt in gloria, vt scias quia lex & Prophetæ, & Euangelia in vnum semper conueniunt, & in vna gloria permanent. Denique & Petrus, cum vellet eis tria facere tabernacula, impe- ritæ notatur, tanquam qui nesciret quid di- ceret. Legi enim & Prophetis, & Euangelio, non tria sed vnum est tabernaculum, quæ est Ecclesia Dei. [Est inquam semper Moyses cum Iesu, sed ex se non splendet, nisi per Iesum depellatur offusa caligo. Apud eundem hom. 2. in Iosue, ex libello apocrypho, testat- ur quod duplex Moyses videbatur, vnus mor- tuus in corpore in typum legis absque Chri- sto, alter viuus in Spiritu per Christum in legis litera agnitum: quod sub alia imagine, reuoluitur in ea quæ diximus.

*Veli templi disruptio & Solyma euer-  
sio, ad monstrandam typorum  
abiectionem per Christum.*

274 Refert eodem S. Paulinus in pane- gyri. Celsi pueri, disruptionem veli Iudæo adyto oppassi, quod à summo vsque deorsum discissum est, efflante animam Christo. Ad- scribo partem longioris de eo velo, cuiusque disruptione orationis.

*Iamque reuelata facie speculaminis aper-  
tum*

*In Christo propria lucis bonum  
Denm.*

*Exputo, quod scissi in templo mysteria  
veli,*

*Id quoque signarim, gratia quod  
tribuit.*

*Nam velui rupto patere Sacramenta  
Sic referat nobis, legis opera fides.*

*Inde sub antiquo legitur voluente  
Moses,*

*Iudæis nebula cordis operata adhuc,  
Quam de luminibus mentis mihi credi-  
tus auferet*

*Christus, adumbratus discutiens  
species.*

*Sæpe docet prisca velatum legis in  
vmbra,*

*Iamque reuelatum corporis in facie.*

*Qualem pramissi cecinerunt adfere  
vates.*

Non oportuit ergo perstare velum, ut quæ per illud occultabatur, iam reuelatis. Quin- etiam



etiam spectasse huc demolitionem vrbis Hierusalem & omnium legalium sublationem, pulcherrimè docet Origenes hom. 17. in Iosue, verbis illis. [Sicut vmbra & exemplari deferuunt cœlestium, ij qui legem suscipiunt, quæ est illius veræ legis vmbra; ita exemplar & vmbra sequuntur diuisionis cœlestis, ij qui in Iudæa hæreditate diuidunt terram. Erat ergo in cœlis veritas, vmbra verò & exemplar veritatis in terris. Et donec vmbra hæc constabat in terris, erat Hierusalem terrestris, erat templum, erat Altare, & visibilis cultus, erant Pontifices, & Sacerdotes, constabant etiam ciuitates & vici Iudææ, & omnia hæc quæ nunc in hoc libro descripta recitantur. Cum verò in aduentu Saluatoris nostri Dei, è cœlis descendens veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit, vmbra & exemplaria ceciderunt. Cecidit enim Hierusalem, cecidit templum, Altare sublatum est, vti iam neque in monte Garizin, neque in Hierosolymis sit locus vbi oportet adorare, sed veri adoratores, qui adorant patrem, in spiritu & veritate adorent. Sic ergo præsentē veritate, typus & vmbra cessauit: & cum adesset templum illud, quod per spiritum Dei & virtutem altissimi in vtero virginis fabricatum est, dirutum est templum ex lapidibus fabricatum. Aderat Pontifex futurorum bonorum; cessauerunt Pontifices temporum & hircorum. Venit agnus Dei qui tollit peccatum mundi; destitit agnus ex pecudibus assumptus. Igitur si hæc omnia quæ in vmbra prioribus data fuerant, præsentē & assistente veritate cessauerunt, consequens sine dubio erat, vt hæreditas regni cœlorum patefacta, hæreditas terrena cessaret. Ratio autem qua hæc cuncta desinere, illa est, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, ne qui forte ex incredulo populo occasiones suæ infidelitatis acciperent, & habentes ymbra antiquitatis, sibi traditas, vel templi, vel altaris, vel Pontificij, vel Sacerdotij, viderentur sibi permanente antiqui cultus statu, præuicari religionis ordinem, si transirent ad fidem. Propterea ergo auferri hæc omnia, quæ in terris dudum fuerant adumbrata, diuina prouidentia, dispensauit, vt viam quodammodo accipiant requirendæ veritatis, cessantibus typis.]

275 Intelligimus ergo ex prædictis mutationibus, placuisse Deo innotescere omnibus factam esse per Christum veritatem, de-  
pulsis typis & vmbra. Existimōque huc præ-  
dictum spectare illud Ioannis 1. *gratia & veri-  
tas per Iesum Christum facta est.* Vt enim de  
gratia, per Christum facta non per Moysen,  
nunc sciam, veritas sanè per Christum est  
facta. Nam apud Moysen omnia typis & vmbra  
obuoluebantur; in quam rem multa  
passim præclarè disseit industrius typorum  
illorum interpretes S. Cyrillus. Pulcherrimè  
verò initio operis de Adoratione, vbi ob hanc  
causam ait; [lex figura & vmbra est, & illa  
forma pietatis, tanquam adhuc in vtero la-  
tentem in se speciem veritatis habet.] (vide-  
tur alludere ad egregiam Origenis ratiocina-  
tionem homil. 7. in Num, qua Iudæos cum  
fœtu informi intra vterum abdito compo-

nit.) Et mox idem Cyrillus, legem ait fuisse  
disciplinam elementariam: Moysen verò præ-  
dagogum illius elementariæ disciplinæ ad  
sensum non peruentis, sed soli literarum ex-  
tremo cortici insistentis. Quod plenius & pro-  
more diligenter tradit S. Chrysostomus ho-  
mil. 4. in ad Coloss. [Suppone mihi (inquit)  
humanam naturam tanquam ætatem quan-  
dam esse. Et primis quidem temporibus sta-  
tuni adolescentis habere genus, illis verò  
quæ proximè subsequuta sunt, iuuenis; sene-  
ctute deinde vicinis, senis. Postea cum ani-  
mus maturus factus est membris corporis  
subactis, belloque soluto, tunc ad philoso-  
phiam ducti sumus. Atqui contrarium ve-  
rum est, inquit. Adolescentem docemus, at  
non sublimia dogmata, sed Rhetoricam, sed  
grauitatem sermonum. Ista quidem, quando  
vegetus, ac flagrans est animus. Vide quomo-  
dò & Deus istud cum Iudæis fecerit. Etenim  
quomodo pueris solet præfici liberator, ita  
Iudæis Moysen præposuit. Et is quæ pueris  
solent, illis fecit, adumbrans ac pingens, vt  
nos solemus, elementa. Nam vmbra, (in-  
quit,) futurorum bonorum lex habens, non ipsam  
imaginem verum. Quemadmodum pueris pla-  
centas eminus, & pecuniam damus, vnum  
hoc ab ipsis exigentes interea in disciplinam  
vt eant; ita & Deus tum fecit; Et diuitias  
dedit, & delicias, vnum ab ipsis duntaxat per  
multam remissionem & indulgentiam mer-  
catas, Moysen vt audirent. Propterea tradi-  
dit eos præceptor, ne se tanquam beneuo-  
lum & indulgentem patrem contemnerent.]  
Et mox post alia in eam sententiam, præfa-  
tus, solitudinem in qua per annos 40. sub  
Mose hæserunt Iudæi, factam illis esse scho-  
lam & locum disciplinæ, id ita illustrat. [locus  
disciplinæ, facta est Eremita. Et quemadmo-  
dum pueri cum aliquandiu in exercitij loco  
detinentur, secedere cupiunt: ita & illi tum  
perpetuò in Ægyptum reuerti quærebant, ac  
plorabant, dicentes, perimus, consumpti su-  
mus: Et tabulam ipsorum contriuit Moyses,  
in qua illis veluti nomina quædam addiscen-  
da conscripserat, id quod & præceptor face-  
re solet, cum acceptam tabulam malè scri-  
ptam videns, proicit, multum iræ hoc pacto  
ostendere volens; & si fracta quoque fuerit,  
non tamen hinc irascitur Pater. Nam ille qui-  
dem diligenter scribendo incubuerat, illi verò  
non in ipsum attendentes, sed aliò auersi pe-  
culanter se habebant. Et quemadmodum in  
schola alius alium percutit, ita & tunc per-  
mittebat Moyses, vt alius alium percuteret,  
& occideret. Et rursus quomodo præceptor  
addiscenda quædam tradens, deinde quomo-  
dò didicerit exigens, si lusam viderit ope-  
ram, punit & castigat: ita & Moyses fecit vt,  
post scripta diuinam potentiam indicantia  
illis exhibens. An ea quæ in Ægypto dedit  
etiam. Sed illa scripta, plagas demonstrabant,  
nempe quod inimicos punitet, erantque illis  
instar disciplinæ.] Illustrat ita subiectis ple-  
risque exemplis, tandemque concludit. [Ita-  
que non peccarit si Moysen quispiam, præce-  
ptorem, educatorem, & prædagogum appel-  
lauit.] Affectatus Magistrum Idior. Pelus.  
lib. 4. episto. 134. Moysen confert Gramma-  
tistæ.



ristæ & literatori, legem verò nouam, perfectæ philosophiæ in res ac sensa intentæ.

*Lux specula ante Christum, plena per Christum.*

276 Eandem typorum & vmbra- rum depulsionem per lucem & veritatem legis nouæ, his verbis egregiè expressit Iustinus q. 101. ad orrhod. [Quid est lex? Prænunciatum Euangelium. Quid Euangelium? Impleta lex.] Nec alia mens Apostolo Rom. 1. cum dixit, *Iustitiam Dei reuelari ex fide in fide*. Nimirum ex fide veteris Testamenti abditore & occultiore, in fidem noui Testamenti magis perspicuum, tamen nondum planè discussa caligine aliquatenus nubilosam. Fides enim nostra, vt Damascenus orat, de Transfig. huic dixit, *est nubes lucida*; admixtam scilicet habens cum multa luce obscuritatem aliquam. Et suffragantur qui Roman. 13. ad illud. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit*, noctem exponunt legem veterem, ob summam caliginem & densas in ea lege vmbas. Et quamquam S. Cyrillus lib. 3. de adorat. *ferè initio*, respiciet ab Apostolo censet ad caliginem impietatis & ignorantie quæ orbem vniuersum ante Christi aduentum occupauerat; Tamen alij apud Toletum ibi, exponunt vt dixi. Quid si verò eodem spectabat fumus ille qui apparuit cum lex in Sina promulgaretur? Idem quidem Cyrillus in homilia quadam Ephesi habita quæ extat t. 6. Concilij Ephesini cap. 5. refert fumum illum ad incomprehensibilem Legislatoris profunditatem, & ad lachrymas quas fumus ciet; quibus significatum putat, contempores lachrymaturos: sicut affirmat exhibitum nunc esse ignem intermicantem, vt intelligerent Iudæi, lege conculcata, rem sibi cum igne fore. Nihilominus ea quam proposui, fumi ad legis obscuritatem accommodatio, est satis idonea.

Legendus in hanc rem vniuersam è recentioribus, Iosephus à Costa in opere de Christo reuelato, ac nominatim lib. 1. cap. 2. q. 3. quibus de legis per Christum declaratione & comprobatione disserit. Item Catharinus tota ferè clauæ 2. Scripturarum, De causis verò preparatæ ad Euangelij lucem viz, per tenebras & vmbas legis, disserit plenè & eleganter S. Cyrillus sub initium libri primi de Adorat.

*Murenula aurea vermiculata argento, hinc aptata, ex Origene.*

277 Non omitto Origenem, lib. 2. in Cant. tractantem illud Cant. 1. *Murennulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*: quod ipse sic legit, & vertit cum versu sequenti. *Faciamus tibi similitudines auri cum distinctionibus argenti, usquequo Rex sit in recubitu suo*. Hæc vult Origenes esse verba sodalium sponsi; Sanctorum inquam Angelorum, & Patriarcharum, ac Prophetarum, quos longa serie ad orbis conditi cunabulis, Ecclesiæ inseruisse demonstrat. Ab his ornamenta vsque ad Regis aduentum in recubitu suo, pa-

rata sponsæ docet, auri similitudines: non vnā inquam, sed plurimas similitudines argenti distinctas. Aurum vt ex multis Scripturis confirmat, ad sensum mentemque pertinet: argentum verò ad eloquium & excellentiam sensum interiorum expressionem. Scilicet (inquit) aurum verum, in illis quæ incorporea sunt & inuisibilia ac spiritualia intelligatur: Similitudo verò auri in quo non est ipsa veritas, sed vmbra veritatis, ista corporea & visibilia accipiantur. Verbi gratia, similitudo auri fuit istud tabernaculum manu factum, de quo dicit Apostolus: *Non enim in manu facta ista introiuit Iesus exemplaria verorum, sed in ipsum colum*. Ergo quæ in colis sunt inuisibilia & incorporea, illa sunt veritas ista autem quæ in terris sunt visibilia & corporea, exemplaria verorum dicuntur esse, non vera. Ista ergo sunt quæ similitudines auri appellantur in quibus est & arca testamenti, & propitiatorium, & Cherubim; & altare incensis, & mensa propositionis, & panes sed & velamen, & columnæ, ac seræ; & altare holocaustorum, & ipsum templum, &c. Sed & ipsum aurum visibile, pro eo quod visibile erat, non erat aurum verum, sed similitudo erat illius veri auri inuisibilis. Ista ergo similitudines auri, fecerunt sponsæ Ecclesiæ, sponsi amici; Angeli videlicet & Prophetæ qui ministraverunt in lege cæterisque mysteriis. Hæc (opinor,) & Paulus intelligens, dicebat: *In religione Angelorum, in his quæ videt frustra inflatus sensu carnis sue*.

278 Obiter aduerte insolitam admodum interpretationem loci difficilis apud Apostolum Coloss. 2. & tamen interpretationi conciliare colorem videtur, quod immediate ante Apostolus monet & viger Colossenses, ne ceremoniis Iudaicis abduci se sinant à Christi cultu, quod illæ fuit vmbra futurorum, corpus autem sit Christi. Illæ inquam sint nudæ imagines, veritas autem sit in solo Christo, & eius adoratione in Spiritu, quam Christiana deserit religio: quæ non est humilis quidam cultus, & veluti puerilium crepundiorum excogitatio, per Angelos pedagogos proposita & ordinata in manu mediatoris Moysi, sed est natura institutio solidis ac veris obiectis distinctens animos. Non lateat, quàm multis aliis modis locus ille exponatur, nominatim à recentioribus constantibus hæreticis, qui ei loco admodum ridiculè inædificant exclusionem cultus Sanctorum. D. Thomas Coloss. 2. subscribitque Suares lib. de superst. cap. 1. num. 10. voluit Apostolum agere de vitanda superstitione legalium ceremoniarum, & cauendis decerioribus quæ illam superstitionem sub specie humilitatis & religionis Angelicæ, id est per Angelos traditæ, inducere quæquam veritatem satagebant. Idem tamen Suares lib. 2. contra Iacobum cap. 9. à num. 16. religionem Angelorum, de supersticioso Angelorum cultu, exclusa Christi fide, à quibusdam hæreticis inuecto, & à Platonis hausto accipit: quæ est admodum iactata inter Hæreseologos interpretatio loci Paulini. Ita Bellarm. lib. 1. de Sanctorum beatitud. cap. 20. ad 3. locum, latèque idem habet Cornelius ad eundem Apostolum



stoli locum. At S. Paulinus epistola 43. de quibusvis hæreticis, visa verè dæmoniaca iactantibus, & ea ratione errores suos disseminantibus, per malignum blandiloquium quo Christum excludunt, interpretatur. Quas interpretationes excutere, alienum est ab instituto. Mihi tamen prolata ex Origene interpretatio non videtur repudianda; tanquam absurda, vel ab Apostolo aliena. Vel sicui aliter videtur, valeat ea expositio quantum poterit.

279 Tantum Origenes de similitudinibus auri, hoc est de figuris & similitudinibus Christi, quibus uniuersum verus Testamentum contextum est. *Distinctiones* verò *argenti*, in consequentibus verbis, interpretatur indicia quædam modica & infrequentia sensus spiritualis, intermixta in figuris illis ac similitudinibus antiquis. Quandoque enim Propheta inter proponendum signa illa furarum, & symbola ac similitudines, aperiebant quo spectarent illæ similitudines; cæque ad spiritualia sensa dirigendas esse demonstrabant. Ut cum Isaias cap. 5. post longam vineæ dilecti expressionem, subdidit eam vineam esse domum Israël. Et cum Ezechiel, duas sorores *Ollam* & *Oolibam*, dixit esse Iudæam & Samariam. Has interpretationes, quæ in veteri Testamento quandoque habentur; Origenes distinctiones argenti distas censet, & notat eas perparce legi in antiquo Testamento, eo quod esset vmbra-ram & imaginum nudarum tempus. [Ergo illud quod per Angelos & Prophetas ministratum est, similitudo auri fuit, cum distinctionibus parvis & exiguis argenti. Hæc autem quæ per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum tradita sunt, in auro verò & argento solido collocata sunt. Hæc enim quæ per amicos sponsi facta est similitudo auri cum distinctionibus argenti; non in sempiternum mansura promittitur: sed tempus ei statuitur, ab illis ipsis dicentibus *usque* *qui Rex sit in rebus suis*. Cum enim recubans dormierit vt leo, & vt catulus leonis, & post hæc suscitauerit cum pater, & resurrexerit à mortuis, si qui fuerint conformes resurrectionis eius, iam non in similitudine auri, id est non in rerum corporalium cultu manebunt: Sed aurum verum ab ipsis percipient, credentes & sperantes non ea quæ videntur, sed quæ non videntur; nec quæ in terris sunt, sed quæ in cælis, vbi Christus est in dextra Dei sedens, & dicent: *Quia celsi cognovimus Christum aliquando secundum carnem; sed nunc iam novimus*. Non ergo iam distinctionibus parvis argenti, sed in latitudinem diffusio utentur argento. Audierit enim quod in illa auri similitudine petra quæ sequi dicitur, & potum populo præbere, Christus est, & mare baptismus est, & nubes spiritus Sanctus est, & manna verbum Dei est, & agnus Paschæ Saluator est, & sanguis agni pectus Christi est, & velum quod est in Sanctis Sanctorum, quo diuina illa & arcana tangebantur, caro eius est; aliæque innumera ex eius resurrectione patebunt, non iam parua vt prius distinctione, sed latissima expositione patefacta.] Adscripti paulo fusiorem Ori-

genis disputationem, ausus tamen plerisque quod aliquid in rem præsentem accommodatius desponderem. Liquidò namque ex dictis patet, quomodo discussis figuris ac typis & vmbis, solida veritas innecta sit per Christum. Quod Rabanus Maurus carm. 9. ad Prædaram Episcopum, eleganter prosequitur, maxime antiquorum typorum parte Christo applicata. [Historia vetus (inquit Guericus serm. 3. de resur. Nam propriè noua Sacramenta loquitur, vt cum prophetia legitur, penè Euangelium, mutatis duntaxat nominibus, audiri videatur.

*Typi nunc superstites, veritate non carent.*

280 Et quanquam sunt nunc quoque typi quidam & cælestium antitypi, vt sæpè docet S. Dionysius, tamen ij al quales typi, cum veritate coniuncti sunt v. g. corpus Christi in Eucharistia, ab aliquibus Patribus vocatur antitypon, & à nonnullis quoque latinis *figura*; non quod inficiatur veritatem realis præsentia corporis Christi; velintque tantum esse figuram: id enim est ab eorum mente alienissimum; vt aliis locis explicatissimè tradunt; ac plerumque etiam iis ipsis locis quibus voces illas usurpant: sed quod spectatis solis speciebus quibus Christi corpus operitur, verum sit; hoc esse signum Christi latentis ad rescindendas animas per modum cibi ac potus spiritualis. Vel quod corpus Christi proi latet sub speciebus Sacramentalibus, sit signum suimetipsius visibiliter existentis; quamuis sub eo signo verè sit Christus: & ideo nunquam à prædictis Patribus adhibeatur particula exclusiua, quæ tradant hanc esse tantum Christi figuram, vel esse merum signum. Eruditè omnino id tradit Billius ad orat. 17. Nazianzeni n. 25, ac plenius etiam ad orat. 11. *sub finem*, & optime item Turrianus in defensione capitis 13; libri 3. Constitutionum, Vossius ad lib. 5. Ephrem de non scrutando curiosè Dei filio, & iam olim S. Anselmus lib. de Sacram. altaris cap. 11. ac Innoc. lib. 4. de myster. Vnus sanè S. Ambrosius; evidentissimè stabilit, quod affirmavi. Nam lib. 4. de Sacram. cap. 5. cum tam clarè tradat transubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, vt claritè & disertius proponi non possit; tamen oblationem nostram vocat *figuram corporis & sanguinis Christi*: nec agit tantum de oblatione nondum consecrata; sed id quoque intelligit post consecrationem. Sicut immediatè ante in calce capitis quarti, quo tam manifestè transubstantiatio astruitur, vt metonymicos ac figurales Christianos aptè eufodere non possit, affirmat nihilominus id quod fideles hauriunt, esse similitudinem pretiosi sanguinis, vt nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis; utique ob verè contentum ibidem Christum, etiam si sub externa specie aliena. Sub quæ ratione, S. Ambrosius species visibiles per comparisonem ad Christum, & ipsummet Christum respectu suimetipsius in alio statu, figuram & similitudinem nominat. Eodem-



que modo plerique omnes accipiunt Tertul-  
lianum lib. 4. contra Marcionem cap. 40. ubi  
ait, Christum dixisse, *hoc est corpus meum, id est  
figura corporis mei*. Sed non est ea interpreta-  
tio necessaria pro Tertulliano iuxta Demo-  
charem, qui in assertionem veritatis Eucharis-  
tiae à pag. 46. late confirmat, illud *hoc est fi-  
gura corporis*, cadere in panem ex Hieremia  
proximè à Tertulliano memoratum; ita ut  
sensus Tertulliani sit, panem de quo Hiere-  
mias dixerat, *venit mittere lignum in panem  
eius*, figuram fuisse corporis Christi: vel pos-  
tius nomine *figura*, Tertullianus in lo-  
quendo durus ac ferreus, intelligit eo loco  
rem solidam & non vmbrailem. Itaque fi-  
guram corporis Christi appellat verum eius  
corpus, figuræ terminis intrinsecè ac in ordi-  
ne ad se circumscriptum, pro rei vacuæ,  
(quo pacto ille loquitur,) & phantasmati  
inani opponitur: ut figura corporis sit verum  
corpus figuratum & inementis suis forma-  
tum. Nam ad hunc ipsum locum alludens l. 5.  
eiusdem operis c. 8. in hunc modum se satis  
explicat.

281 Hæc dixerim, ut appareat quomodo  
verum sit quod iam supra attigi, agens de  
Verbo inumbrato; esse scilicet in Christiana  
Ecclesia etiamnum, figuras quasdam ac typos  
sed à veritate quæ per Christum facta est  
non distinctos, aut egenos & vactos, quales  
erant apud Hebræos: ita ut quamvis quoad  
aliquid pertinens ad statum vitæ futuræ, in-  
terdum res nostræ aliquid typicum conti-  
neant quod nondum habemus, tamen veri-  
tate non destituantur. Sic participatio cor-  
poris Christi, possessionem Dei beatificam  
adumbrat, iuxta S. Dionysium, astipulante  
Ecclesia quæ diuinitatis sempiternam suitio-  
nem, temporali perceptione corporis & san-  
guinis Domini præfigurari proficetur, & con-  
iunct D. Athanas. lib. 5. de humana natura  
suscepta contra Apollinarium, qui panem  
*transubstantiationem* quem orantes petimus interpretatur  
*panem futurum*, cuius ait Eucharistiam esse ar-  
tham atque primitias. Attamen ij typi non  
sunt inanes & egeni, sed facti veritate qua-  
piam solida: ut Eucharistia Christo ipso, Sa-  
cramenta autem reliqua fructu gratiæ sancti-  
ficantis referuntur. Et idem est proportio-  
ne seruata, de aliis. At longè aliter se habue-  
runt antiquæ figuræ. Erant enim nudæ &  
prorsus vacuæ spiritualium opum, meram-  
que representationem futurorum bonorum,  
non ipsam, imaginem rerum, (ut Apostolus  
loquitur,) continebant; quatenus omnes ce-  
rimoniarum, & ritus ac Sacramenta quæcunque  
illius legis; quam etiam totus contextus  
veteris Scripturæ, Christum aut cultum à  
Christo institutum, & aliquid ad res nos-  
tras pertinens, adumbrabant. Vnde egregiè  
S. Augustinus serm. 4. ex 40. nouis, eandem;  
nostram & veterum fidem fuisse demonstrat.  
[Sacramenta (inquit) sunt mutata; non fi-  
des. Signa mutata sunt quibus aliquid signi-  
ficabatur, non res quæ significabatur. Pro  
Christo aries, pro Christo agnus, pro Christo  
vitulus, pro Christo hircus, totum Christus:  
aries, quia ducit gregem. Ipse est inuentus  
in vepribus quando patet Abraham filio

iussus est parcere, nec tamen sine oblato sacri-  
ficio inde discedere. Et Isaac Christus erat, &  
aries Christus erat. Isaac sibi ligna portabat:  
Christus crucem propriam baiulabat. Pro  
Isaac aries, non tamen pro Christo Christus.  
Sed in Isaac, & aries & Christus. Tenebatur  
cornibus in vepre aries. Interroga Iudæos,  
vnde tunc Dominum coronauerunt. Agnus  
est, ecce agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi.  
Taurus est, attende cornua crucis. Hircus est  
propter similitudinem carnis peccati. Velata  
sunt ista, donec aspiraret dies, & remoueren-  
tur vmbrae. In eundem ergo Dominum Chri-  
stum, non solum quod Verbum, sed etiam  
quod mediator est Dei & hominum homo  
Christus Iesus, & Patres antiqui crediderunt,  
& ad nos fidem eandem prædicando & pro-  
phetando transmiserunt. Vnde dicit Aposto-  
lus, *habentes eundem spiritum fidei, propter quod  
scriptum est, credidi propter quod locutus sum.*  
Eundem habentes, quem habuerunt & illi,  
& nos credimus propter quod & loquimur.]

282 In genere aperiendi & euoluendi  
hos typos, præcellunt omnino, Origenes vbi-  
nis, & S. Cyrillus nominatim in opere Gla-  
phyrorum, & alio opere de adoratione in spi-  
ritu & veritate. Ammonius Alexandrinus  
bonam eiusdem negotij partem exegit, scri-  
pto libro de consonantia Iesu & Moysi,  
quem memorat in catalogo S. Hieronymus,  
in Ammonio. Ex recentioribus idem tradunt  
Marinarius in concordia veteris & noui tes-  
tamenti, & Ioseph à Costa de Christo re-  
uelato.

#### Vsus doctrinae.

Hic quoque si pro exhibitâ per Christum  
solida veritate abiectis puerilibus typis nu-  
disque imaginibus, affectum in Deum solidæ  
gratitudinis poposcero, rem iustam exegerim.  
Sed longiusculæ, in triplici veritate Dei, ex-  
pressa in Christo, moræ pertæsus, non vlti  
hæreo. Indicasse ad quid teneamur sit satis.  
Recolenda quæ ad calcem primæ & secun-  
dæ veritatis per Christum exhibitæ, sunt  
propositæ. Et quandoquidem Ecclesia per  
Christum ut Zachar. 8. habetur facta est *ciuitas  
veritatis*, annitendum omni studio ut  
eius boni ac digni ciues euadamus, verita-  
tisque dictis, factis, & vitæ ratione vniuersa  
exhibeamus.







CAPVT XI.

*Christus, Domino Canticum nouum,  
laus eius in Ecclesia Sanctorum  
sive alleluia, & gloria in  
excelsis Deo.*

**N**ON est vnica Cantici noni in Scri-  
pturis notio iuxta varios Patres. Ali-  
qui enim eum titulum explicant vno  
mythico sensu; alij alio. Sunt qui ad Christum  
Dei canticum, referant, vt mox dicam, prae-  
missa alia affini interpretatione; aliquatenus  
diuersa.

*Vita ex noui Testamenti gratia & prae-  
scripto exacta, Canticum nouum.*

283 Canticum Domini nouum quod  
torres Dauid cantandum suadet, vitam no-  
uam ex noui Testamenti gratia initam, in-  
terpretatur Augustinus lib. de canticis nouo  
cap. 1. Canticum (inquit,) vetus, homo ve-  
tus. Nunc autem testamentum nouum, can-  
ticum nouum, propter hominem nouum. [Et  
plane eadem est mens Nazianzeno orat. 43.  
initio. Ait enim, Canticum nouum Domino  
canere iubemur, tam qui in Babylonem ac  
peruam confusionem à peccato petra tracti, ac  
deinde in Hierusalem incolumes reuersi su-  
mus. (Atque illic quidem, vt in terra aliena,  
canticum diuinum canere minime potera-  
mus, hic autem nouam cantionem, vitæque  
rationem instituiamus;) quam qui in virtute  
perstitimus, nouosque subinde in ea progres-  
sus facimus, inuocantique spiritus ope at-  
que auxilio; virtutis muneribus partim iam  
sancti sumus, partim fungimur.]

Concinit D. Ambrosius, cuius illa sunt in  
psal. 39. ad illud immisit in os meum canticum  
nouum, post descriptam veterum de Christo  
expectationem. [Expectanti ergo mihi Do-  
mine Iesu, aliquando venisti, direxisti gressus  
meos in Euangelio, immisisti in os meum  
canticum nouum, quod est nouum Testa-  
mentum. Gaudentes iam canimus, hymnum  
Deo nostro, quia nouatum virtutum præce-  
pta cognouimus, vt nostra omnia relinqua-  
mus, Christum sequentes, & nostros diliga-  
mus inimicos. Nouos etiam hausimus mo-  
res.] Egregie quoque in eandem sententiam  
differit serm. 7. in psal. 118. ad v. 6. docens, no-  
uum Testamentum & vitam ad eius gnomi-  
nem exactam, esse dulcem cantilenam & can-  
ticum nouum ad quod auditum vt Lucæ 7.  
habetur, noluerunt saltare Iudæi, idcirco re-  
prehenduntur. E contrario autem pijs qui-  
busque cantabiles sunt iustificationes Dei.  
Vacuientim sunt cantantium more, & diuer-  
sacum cogitationum curas relegunt; nec so-  
lum corporis vocem, sed etiam mentium sua-  
rum vanitates emulcent.]

284 Est sane canticum illud verè no-

uum, & antiquis canticis oppositum è dia-  
metro. Audi autorem Tractatus de passione  
Domini apud Bernardum cap. 25. [Quid est  
canticum nouum? canticum charitatis. Quar-  
re nouum? Quia initio sæculi à primis crea-  
turis cantatum fuit vetus canticum, contra-  
rium charitati. Vis ergo id nosse? Cantauit  
Angelus periturus in celo canticum super-  
biæ, dicens: ponam sedem meam ad Aquilo-  
nem, & similitudo ero Altissimo. Cantauit postea  
detractionis canticum in paradiso, cum acce-  
dens ad mulierem ait; Quare prohibuit Deus  
vobis, ne comederetis de ligno scientia boni &  
mali? Tanquam diceret, mala intentione pro-  
hibuit. Canticum dubitationis cantauit mu-  
lier, dicens: Ne comedamus, & forte moriamur.  
O forte! Quantum infirmitatis nobis indu-  
xisti? Videns autem Diabolus mulierem du-  
bitantem, prorupit ad canticum mendacij, di-  
cens: Nequaquam moriemini. O nequam! Ido  
nequam! Vbi est modò tuum nequaquam?  
Ecce mortui sunt duplici morte, quos dixisti  
nequaquam morituros; Nequaquam, (in-  
quit,) moriemini. Malum & vetus canticum,  
hoc verbum veritati contrarium. Dixerat  
enim Deus: Quacunque die comederitis, morie-  
mini; morte videlicet animæ, vel vt alij  
exponunt; Moriemini, id est mortales effi-  
ciemini, scilicet vt necessitatem tunc habeat-  
is moriendi, qui modò potestis non mori; si  
enim inobedientia permansissent, mortui  
non fuissent. Cantauit & Adam canticum  
excusationis in peccato, cum dixit; Mulier  
quam mihi dedisti sociam, dedit mihi & comedi;  
ac si diceret; Tu potius accusandus esses,  
qui talem mihi iunxisti mulierem, quæ me ad  
peccandum induceret. Charissimi; vetera  
cantica sunt hæc, canticum superbiæ, can-  
ticum detractionis, canticum dubitationis,  
canticum mendacij, & canticum excusatio-  
nis. Cauenda sunt, & per omnem modum ca-  
uenda hæc cantica.] Addit etiam c. sequenti,  
canticum detractionis & dubietatis de Dei  
misericordia; quæ omnia opponi docet canti-  
co nouo, quod charitate, humilitate, veritate,  
aliisque virtutibus, & vita rectè composita  
continetur, vt differit Gregor. Nyssen. tr. 2. in  
titulos psalmorum c. 3.

*Canticum nouum, Christus ipse.*

285 Hoc quidem canticum, per Chri-  
stum noui Testamenti conditorem insonuisse  
orbi, verissimum est. Tamen Clemens Ale-  
xandrinus initio protreptici, longè aliter ac-  
cipiendum esse docet canticum nouum, quod  
Deo pangendum suadet toties Dauid. Ipsum  
namque Christum asserit esse hoc canticum  
nouum; describens primò quidem Ver-  
bum diuinum, per quod omnia facta sunt, &  
vocans illud, canticum incorruptum vniuerso-  
rum, firmamentum & harmoniam omnium. Tum  
addens de Verbo homine. [Qui autem de  
Dauid ortus est, & ante ipsum fuit, Dei  
Verbum, lyram quidem & citharam instru-  
menta inanima despiciens, cum hunc mun-  
dum, atque etiam paruum mundum, nempe  
hominem, & eius animam, ac corpus Sancto  
spiritu, concinnasset, psallit Deo per instru-  
mentum



mentum multarum vocum ; & huic instrumento, nempe homini, canit. ] Et mox. [ Pulchrum spirans instrumentum, Dominus hominem fecit ad suam imaginem. Certè ipse quoque est Dei concinnum & aptum instrumentum & sanctum, sapientia supermundana, Verbum cœlestē. Quidnam ergo vult instrumentum, Dei Verbum, Dominus & novum canticum : Patefacere oculos cæcorum, & aperite aures surdorum, & qui pedibus claudicant vel errant, ad iustitiam deducere, Deum insipientibus hominibus ostendere, interitum compescere, mortem vincere, inobedientes filios patri reconciliare. Benignum Dei instrumentum, Dominus. ] Rursusque paulo post. [ Meum salutare canticum, ne ita existimes esse novum, ut vas vel domum. Erat enim ante luciferum, & in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Est autem vetus, error; res nova verò, apparet veritas. ] Tandemque post aliqua. [ In principio erat Verbum. Sed quoniam Verbum quidem erat ab alto petita origine diuinum vniuersorum principium, & fuit & est. Quia autem nunc nomen accepit, olim sanctificatum potestate dignum, Christus, novum mihi vocatum est canticum. Hic ergo Verbum Christus, & ut nos olim essemus, erat enim in Deo, & ut benè essemus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus & homo, & est nobis omnium causa bonorum, à quo edocti rectè vivere, ad vitam æternam transmittimur. Nam ut ait diuinus ille Domini Apostolus, *gratia Dei Salutaris, omnibus hominibus apparuit, docens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, moderati, & iusti, & pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem & aduentum glorie magni Dei & Servatoris nostri Iesu Christi.* Hoc est canticum novum, aduentus qui nunc refulsit in nobis. ] Habes appetit, Christum Deum hominem de Clementis sententia, esse canticum novum quod Domino cantat quisquis ad Christi normam componit vitam. Sanè si pulcher hymnus, Dei homo, ut habet ea oratione Clementis, quanto magis Christus, agnoscendus Dei hymnus ?

286 Videri porro possit Eusebius lib. 1. de demonstr. cap. 10. eodem modo accepisse canticum novum, cum exponit canticum novum de quo David psal. 39. sic enim scribit Eusebius, post multa de Christo agno & vicitima, eruditissime (ut solet) prolata. [ Quod porro sit hoc novum canticum, declarat deinceps ubi ait; *Sacrificium & oblationem noluisse, corpus autem perfecisti mihi, holocausta & pro peccato non probasti. Tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem Deus voluntatem tuam: volui.* Et adiungit; *Annunciavi iustitiam tuam in Ecclesia magna.* Sic planè docens pro antiquis Sacrificiis & holocaustis, Christi aduentum per assumptionem humani corporis, eiusque corpus perfectum, Deo oblatum esse; ipsūque hoc Ecclesiæ suæ nunciat cum gaudio tanquam ingens mysterium, quod prophetica voce in capite libri propositum expressumque sit. ] Appellat ibi perspicue Eusebius, Christum canticum

novum, sed agit de eo prout in Eucharistia immolatur: & hoc esse ait canticum novum quod Deus immisit nobis in os, carmen Deo nostro. Nam cum dixisset, Christum pro antiquis pecorum victimis, post omnia, quasi mirabilem quandam victimam sacrificiumque eximium patri suo operatum, pro nostra omnium salute obtulisse eiusque memoriant ut nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus instituisse, addit hanc ipsam institutionem fuisse à Davide prophetatam, cum immisionem novi cantici in os nostrum carmen Deo nostro celebravit psal. 39. excurratque plenè & magnificè in alias de Eucharistia scripturas; ut dubium nullum super sit, quin per canticum novum ori diuinitus immisum, & carmen Deo nostro, Christum quem in Eucharistia ore sumimus, intellectum à Davide voluerit: Quia verò Eucharistia eundem Christum continet modo invisibili; quem mysterium Incarnationis visibilem exhibuit mundo; propterea æquè ad rem præsentem confert Eusebij cogitatio, de Christo canticum novo.

287 Et addi potest egregius ex eodem locus, in oratione de laudibus Constantinianis post medium, vox Christum cum Orpheo componit, & per humanitatem veloci per musicum instrumentum, edidisse insignem melos confirmat. [ Communis (inquit,) omnium servator, per instrumentum humani corporis, quo se circumdedit, se beneficium omnibus præstitit, & salutarem: non aliter sanè quam musicus, qui suam in arte peritiam per lyram declarat. Orpheus, ut infabulis Græcorum est, omnia ferarum genera cantu permulcere, & instrumenti fidibus plethra percussis, belluarum immanium furores mitigare potuit. Quæ res à Græcis & passim decantatur, & vera esse creditur: quod scilicet lyre inanimæ conuentu rum feræ manifeste, tum arbores (quæ fagi vocantur,) musica suauitate delinitæ, situs suos moxare solent. Eodem modo igitur sapientissimus Dei sermo, cuius vi ac potestate omnia continentur, coherereque animis hominum, omnibus vitiorum generibus oppressis, variis curationes adhibere, & humana natura, tanquam instrumento musico à sua ipsius sapientia fabricato, in manus accepta, cantilinas & quasi incantationes animantibus non expertibus rationis, sed eiusdem participibus occinere capit: omnesque feroces motus tam Græcorum quam Barbarorum, omnes etiam agrestes & immanes animorum perturbaciones, salutariis cælestis doctrinæ medicamentis sanauit: ægrisque animis, qui diuinum numen, in ortu rerum & corporibus peruehigabant, Deus humano corpore conclusus, velut medicus facillè præstantissimus, congruenti, & apposito remedio opem tulit. ]

Eidem cogitationi de Christo canticum nouo, astipularis videtur Guilielmus Parvus præfatione in cantica, sic describens canticum vetus & novum. [ Canticum aliud vetus, aliud novum. Canticum vetus, est ad quod inuitatur omnis intellectualis creatura, cum dicitur, *Benedicite Domino omnia opera eius.* Canticum verò novum est, ad quod tantum



tantummodò inuitatur omnis terra, id est omnis ex redemptis hominibus Ecclesia, cum dicitur; *Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra*; vtrumque sanè canticum canit omnis terra, sed cum Sanctis Angelis, canticum vetus cantat creatori; sola verò canticum nouum cantat Redemptori. Sola, inquam, terra cantat canticum nouum: quia veritas de terra, non de cælo, orta est; id est Verbum Caro, non Angelus, factum est, & habitauit in nobis. Itaque ad Angelos canticum nouum minimè pertinet, quia vt ait Apostolus, *non Angelos, sed semen Abrahe*, id est, terram, redemptrix veritas, apprehendit. Inter recentiores, Christum esse canticum nouum, agnoscit atque confirmat Benzoni- us in pl. 1. 86. c. 22.

*Harmonia Cantici noui, supra Orphei, &c. melos.*

189 Meritò potèd Clemens laudato loco, per hunc noua ( vt vocat, ) *harmonia aeternam modum*, longè aliter affectos fuisse mortales considerat, quàm per Amphionem, Anonemque, & Orpheum, quorum primus canilena suauitate piscem inescasse, alter Thebas ædificasse; Tertius feras mansuefecisse, & arbores transplantasse referuntur: cum reuera prætextu musicæ vitæ intulerint obit perniciem, & ad seruitutem lignis ac lapidibus turpissimè seruendam, mortales adduxerint. At canticum nouum, [difficillimas feras, homines mansuefecit. Volucres quidem eos qui ex ipsiis sunt leues: Serpentes verò eos qui deceptores: & leones, eos qui sunt animosi, & ad iram concitati: feras autem, eos qui sunt volupati dediti: lupos autem, eos qui sunt rapaces; lapides autem & ligna, sunt insipientes.] Probat hoc Clemens, variis ad id congeitis scripturis. Tum addit, [Has ergo omnes immanissimas feras, & tales lapides, ipse cælestis cantus in mansuetos homines transformauit. Eramus enim, *eramus nos quoque*, aliquando insipientes, inobedientes, errantes, seruientes volupatibus, & cupiditatibus variis, in malitia & inuidia degentes, odibiles, nos inuitem odio habentes, vt ait Scriptura Apostolica. Quando autem benignitas & humanitas apparuit Seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam nos saluos fecit. Vide quantum porue- rit nouum canticum. Homines ex lapidibus, & homines fecit ex feras. Ij autem qui erant alioqui vt mortui, qui eius qui verè est vita non erant participes, postquam canticum solum fuerunt auditores, reuixerunt.] Efficacitatem melodix à Christo in orbem inductæ, haud aliter expressit Amedæus Lausan. cuius illa sunt homilia 4. de laud. Deiparæ, initio. [Exul- tauit Gigas geminæ substantiæ, modulatis vocibus ex tinnulis suauissimis in cithara corporis decantare, & in carnis organo com- pacto dulcissimos sonos edere, & ineffabili concordia resonare, vt lapides suscitaret, li- gna commoueret, feras traheret; homines ab- stractus à carne, educeret in sublime. Nam suauitate mirificæ cantilenæ, suscitauit de la- pidibus filios Abrahæ, & ligna sylvarum, id

est corda Gentilium, ad fidem commouit. Feras quoque, id est feros motus, & incultam barbariem moraliter composuit, & homines ab hominibus edoctos, in numerum Deorum instituit.]

190 Hominem paulo post, Clemens Ale- xandrinus loco proximè allegato, cum citha- ra diuinitus pulsata confert; atque adeò Christum quoque, ait esse citharam, cuiusque melodiam, ait esse canticum nouum, quali Rex Citharædus Saulem à Dæmone vexa- tum, solummodò canens curauit. In quam rem subit animum quod ex Matthia Felisio in Christiana institutione ad methodum mag- istri 2. S. dist. 8. tradit Thyreus in opere de Dæmoniis c. 48. n. 16. nimirum Christum, præsertim in cruce expassum, citharam esse mysticam, cuius repræsentatione, Dauidis ci- thara materialis, Dæmonem profligari. Hoc Autor tractatus de Pass. Dom. apud Bernar- dum cap. 8. pulchrè agnouit. [Cithara (in- quit alloquens Christianam animam,) tibi factus est sponsum, cruce habente formam li- gni; corpore autem suo vicem supplente chordarum per ligni planities extensarum. Nam nisi ligno affigeretur expassus, neui- quam verborum sonum ederet tanquam ci- tharizans quibus amplius delectaretis. Ob- serua diligentius, septem chordas habet ci- thara.] Has septem chordas, ad septem Chri- sti in cruce verba, accommodat. Prosper quo- que part. 2. de promiss. cap. 25. tractans varias Christi & Dauidis analogias, sic de cithari- zatione scribit. [Suauis sono citharizans Da- uid, non tantum animalium mulcebat audi- tus, quantum etiam in ipso Saule vexationem mali Spiritus temperabat. Sic nostri manu fortis, Christi Domini citharam respicias personantem, quam ligno crucis cernis mem- brotūque suorum chordis adpratam, plectro dum tangit Sancti Spiritus, omne animal re- plens benedictione, ipsum quoque Diabo- lum fugauit de cordibus inimicorum, pro quibus orans in cruce, suauem illum sonum protulit, dicens; *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*] En quàm affabre structa, quàm dulciter resonans cithara, multo suauius quàm Threicijs Vatis, multoque maiora & vberiora procreans bona.

*Christus, laus Dei in Ecclesia Sanctorum.*

191 Horum bonorum consideratio, fa- cit, vt Christus in ore & cogitatione San- ctorum, non nunc tantum in hac peregrin- tantium Ecclesia, sed per totam æternitate- in Ecclesia magna ad plenum expurgata, ve- réque Ecclesia Sanctorum, sit canticum no- uum, & laus Dei nunquam intermittenda. Est quidem hic Christus, gaudium & exultatio vniuersæ terræ, iuxta illud S. Ambrosij in psalmum 47. qui interpretatus verba illa Psal- tis, *fundatur exultatione vniuersa terra, mons Sion, de cælesti Hierusalem, subdit.* [Conue- nit igitur, & si ita intelligamus vt diximus: sed quia in vetustis exemplaribus aliquibus reperimus, *ἡ ὁλὴ τῆς γῆς ἀγαλλιάματα πᾶσι τῇ γῆς*, id est bona radice exultationem vniuersæ

R

terre



terræ. Sensum quidem eundem aduertimus, quia diuina in nobis Dei Patris dona laudantur; qui dedit nobis exultationem bona radice fundatam, Deum videlicet Iesum, veram & fecundissimam vitem, de qua Sacramenta fluxere cœlestia, in quibus est perpetua & diuturna lætitia; quod his abluatur omne peccatum, & conscientia interna mundet. Elocutionemque conuenire cognoscimus: quia bene radicata exultatione lætamur, qui exultamus in Christo. Sæculi enim lætitia, temporalis est; perpetua autem lætitia, eius qui gaudet in Domino.]

291. Quis autem vel tenuiter rem æstimans, dubitare possit quin electi tam felices sortem suam præ innumeris eiusdem aliquando conditionis & ordinis perspicientes, videntes se de luto fœcis ereptos, & statutos super petram, cum amore suauissimo erga Deum & Christum colloquescent, de quo infra, cum Richardo cap. 10. in Cantica; tum ingi laude Deum concelebrent per Christum, cuius interuentu tanta bonorum vbertate fruuntur? Bona namque terræ comedunt, iuxta Esaïam, id est terræ promissæ quæ Christus est, prout contra Iudaicum stuporem, bulbos & tubera in terræ bonis diuinitus promissis deputantem, interpretatur Tertullianus lib. de resurr. carnis cap. 26. Sic igitur est Christus, laus Dei perpetua in Ecclesia Sanctorum laudantiū & celebrantium Deum in firmamento virtutis eius; quod esse ipsum Christum docet S. Gregorius hom. 8. in Ezech. Cuiusmodi verò sit futurā ea Dei de Christo, & per Christum laudatio, utcumque ostendo, exhibitio perillustri de ea loco Gregorij Nysseni lib. 1. de ritualis psalmorum cap. 9. supremum (inquit,) omnium bonorum quod omnibus commune erit, nihil aliud est quam laudis diuinæ celebratio, quando sine vilo peccati periculo in omnibus complebitur; prout in postremo Psalmo habetur; *Laudate Dominum in Sanctis eius*. Vbi etiam firmamentum virtutis eius immutabilem constantiam in bono significat: Principatūque seu virtutes Dei, ostendunt naturam non ampliùs fore dominationi peccati obnoxiam; quando humana natura de cætero, secundum multitudinem magnitudinis eius laudem instituer, non iam paruum quoddam & exile resonans, sed vocis magnitudine tubam exæquans. Ait enim; *Laudate in sono tubæ*, quando etiam huius vniuersi harmoniam, & concentum imitabitur, variis & multigenis virtutibus, quasi organum Deo facta, aptis concinnisque modulis & concentibus. Nominat verò hoc figurata quadam loquendi forma Psalterium & citharam. Post cuius modulationem, seposito omni illo quod terrestre est, & mutum, vocisque expers, in tympanorum magnifico cantu consociat cœlestibus choris propriarum chordarum sonum. Chordæ autem in organo extensæ, nihil aliud fuerint, quàm ille in qualibet virtute insitus rigor, quo ad malitiam inflecti & inclinari nequit, quibus omnibus iucundus ille cymbali concentus chordis permixtus efficitur, quando sonus cymbalorum mentem excitat ut diuinos illos cætus obeat & frequenter. Quod quidem

mihî innuere videtur naturæ nostræ cum Angelis societatem; ait enim: *Laudate Dominum in cymbalis bene sonantibus*. Conuentus enim ille Angelicæ naturæ cum humana, quando humana ad finem suum peruenit, gratiam illam gratiarum actionis modulationem mutuo congressu efficit: simulque iunctis vocibus, benignitatem Dei super omnes perpetuò effulam decantant; Hoc enim cymbali cum cymbalo coniunctio significat. Cymbalum vnum est cœlestis illa Angelorum natura; alterum cymbalum est, rationalis hominum creatura; sed peccatum hanc ab illa separauit, quas cum deuò Dei benignitas copulauerit, tunc resonabit utraq; in vnum iam conflata, hymnum illum, quia ut magnus ait Apostolus; *Omnis lingua confitebitur, cœlestium, terrestrium & infernorum, Christum esse in gloria Patris*: Quo facto decantabunt hæc cymbala epiniciū, seu carnem victorale, tanquam victoria parta ob communem iam concordiam, abolito & profligato omni bello, quo depulso, & in nihilum redacto, indefinenter ab omni spiritu, pari studio & conatu, laus & hymnus Deo in omnem æternitatem persoluetur: cum enim laus non sit speciosa in ore peccatoris, (tunc autem non sit futurus peccator sublatō omni peccato,) omnino oportet, ut omnis spiritus qui in sæculo illo erit, Dominum laudet. Id quod nunc quoque, Sanctorum super terram peregrinantium Ecclesia, usurpat; præglans iam ex hac vita perpetuum inibi munus suum, orationem iam nunc præstare, quod per æternitatem cumulatiùs, lætiùs, tranquilliusque præstabit.

*Christus, Alleluia.*

293. Geminum est quod Rupertus lib. 4. de diu. offic. cap. 5. Christum ait esse *Alleluia*, quod idem est, ac *Dei laudatio*, ut Theodoretus rectè notauit in Psal. 146. ac S. Hieronymus epist. 137. quæ est ad Marcellam, & multi quos proferunt Durantijs lib. 2. de ritibus cap. 20. *Laudationem concinnam* interpretatur Iustinianus quæ est, 50. ad orthodox. ubique Dei, qui solus est laudabilis & superlaudabilis. [Quam ergo Dei laudem (inquit Rupertus capite illo 5.) significat Alleluia? Illam utique illam cui dicit Deus Pater in Psalmo; *exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara*. Gloria Patris, Dei Filius, perfecta laus, & sempiterna musica, utpote summa sapientia, quæ de corde nata eiusdem Patris, æterni musici, citharam nostræ humanitatis allumplit; quam & contractam ab inuidis & stultis pueris, qui ad cantum eius saltare debebant, rursus per gloriam resurrectionis reformauit, & inuolabile Psalterium fecit, illamquam gloria, hæc cithara, siue Psalterium. Alleluia nostrum est. Quicquid enim superne iucunditatis auditoribus suis exhibuit, quorum beati oculi qui viderunt, & aures quæ audierunt; quicquid inquam de cœlestibus gaudiis ore suo Dominus Iesus Christus præcinnuit, Alleluia est, canticum nouum est, laus suavis est.]

Facit ad hanc rem, notatio Hebraica vocis



vocis *alleluia*, quam profert S. Germanus in  
terum Ecclesiasticarum Theoria. Eam verò  
non tam refero quod approbem, & Hebraicæ  
radici conformem censcam, quod peritos in-  
ficiari non me later, sed quod mentem S. Ger-  
mani de Christo *alleluia*, aperit prodar. At  
igitur S. Germanus, *alleluia*, Hebræam vocem  
esse, quæ idem sonet ac *venit Deus laudate vi-  
uentium Deum*. Iuxta eum enim *Al* Hebraicè,  
idem est quod *venit* : sicut *el* , idem quod  
*Deus*. *Via* idem quod *laudate viuentium Deum*.  
Quæ vocis notio si vera esset, nihil posset  
commodius profertur ad monstrandum quo-  
modo Christus sit nostrum *alleluia*, vt Ru-  
pertus affirmabat. Verè enim Christus, Deus  
est, qui ad nos in carne venit, & per eam ap-  
paruit. Quo mirabili & insolitæ claritatis  
spectaculo percussus, id enim fert *apparitionis*  
verbum vt ponderat Cassianus circa illud  
Apostoli *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri*;  
lib. 2. de Incarnat. cap. 4. ) excitamur ad laudan-  
dum patrem, qui Deus est non mortuorum  
sed viuentium. Non præsto eam notionem  
esse legitimam, vt iam dixi, & eam reiecit  
Humbertus Card. Syluæ candidæ lib. contra  
Græcorum calumnias *sub finem*. Equè tamen  
quadrat ac aliæ quatuor, quas præter propo-  
sitam ex D. Hieronymo notionem, refert  
Turrec. in regulâ S. Benedicti tract. 72. Quas  
inter, potest ad istam ex D. Germano propo-  
sitam, reduci illa quam Turrecremata ex D.  
Augustino refert, (locum non signat, & ægrè  
inuenietur, cum non sit D. Augustini: qui ubi-  
que in huius vocis notione, approbat eam  
quam ex D. Hieronymo retuli, vt videre est  
serm. 18. ex 40. nouis, & epist. 178. & (æpè  
abbi.) Hæc igitur est illa interpretatio *Al*  
*alleluia* quam D. Augustino assignit Turrecre-  
mata. *Al* id est *saluum* le. id est *me* du id est *fac*.  
*id est Domine*. Quasi *alleluia*, idem sit quod  
*Iesu Domine*, vt sit, *alleluia* designare Chri-  
stum qui est laus Dei summa & perfecta in  
Ecclesia Sanctorum, sententia est Ruperti, &  
S. Germani.

*Bulla inde germana ratio, cur certo anni  
tempore, prematur Alleluia.*

294 Hinc verò potest non incongrua ra-  
tio reddi, Ecclesiastici ritus cuius alioqui per-  
obscura est expositio. Si enim *alleluia*, non  
aliud est quàm quæcunque laus Dei, vt pro-  
batio vocis notio fert spectato nudo vocis  
corrice, quorsum Ecclesia, *alleluia* premit à  
septuagesima ad Pascha? Vel saltem ab  
incente Quadragesima. Quod addo quia  
quamuis nunc à septuagesima omnes dimit-  
tant. *Alleluia*, tamen longo tempore Benedi-  
cti, *Alleluia*, retinuerunt vsque ad Quadra-  
gesimam, vt eis S. Benedictus cap. 23. Regulæ  
permiserat. Eumque vsus retinuerunt, etiam  
post prohibitionem Synodi Francicæ, de qua  
ad prædictum caput Smaragdus, & Synodus  
Abbatum coacta Aquigrani sub Ludouico  
Pio cit. 30. Nam Radulphus Tungrensis tanto  
posterior lib. de obs. can. propos. 16. suo tem-  
pore idem ab eis seruatum docet. Seruabant  
item Hispanicæ Ecclesiæ, teste S. Isidoro l. 1.  
de offic. cap. 3. Vt tamen saltem inuente qua-

dragesima, id est prima Dominica quadra-  
gesimæ, (quæ verè est caput Quadragesimæ,  
non autem Septuagesima vt malè caput ci-  
tatum Regulæ Benedictinæ glossauit Ruper-  
tus lib. 2. in regul. S. Bened. cap. 13.) dimittat-  
ur *Alleluia* [vniuersalis Ecclesiæ consensio,  
in cunctis terrarum partibus roborauit] ait  
Conc. Tolet. 4. cap. 10. Quorsum verò hoc, si  
*Alleluia* idem est quod *Laudate Dominum*? An  
non etiam in Quadragesima laudandus Deus?  
Vetus planè quæstio, iam olim scriptis Albi-  
ni Flacci, & Caroli Magni Imperatoris dis-  
cussa: & à posterioribus diuinorum officio-  
rum Tractatoribus agitata; nec non à defen-  
soribus Latinorum rituum aduersus Græco-  
rum impugnationes, vt ab Humberto Episco-  
po syluæ candidæ lib. aduersus Græcorum  
calumnias: sed ita vt ægrè satisfaciant quæ  
adducuntur.

Sunt qui cum D. Augustino respondeant,  
*melos alleluaticum*, esse vocem gaudij & exul-  
tationis, quæ non decet peregrinos & exules:  
iuxta illud *quomodo cantabimus canticum Do-  
mini in terra aliena*? Ita D. Augustinus serm.  
15. ex 40. nouis, & in psal. 106. ac 110. Et per-  
spicue in psal. 148. *initio* [Propter hæc duo  
tempora (inquit,) vnum quod est nunc in  
tentationibus & tribulationibus huius vitæ;  
alterum quod tunc erit in securitate & exul-  
tatione perpetua, instituta est nobis etiam ce-  
lebratio duorum temporum ante Pascha &  
post Pascha. Illud quod est ante Pascha, signi-  
ficat tribulationem in qua modò sumus:  
quod verò nunc agimus post Pascha, signifi-  
cat beatitudinem in qua postea erimus. Antè  
Pascha ergo, quod celebramus hoc & agimus.  
Post Pascha autem, quod celebramus, signifi-  
camus, quod & nondum tenemus. Propterea  
illud tempus, in ieiuniis & orationibus exer-  
cemus: hoc verò tempus, relaxatis ieiuniis in  
laudibus agimus. Hoc est enim *Alleluia* quod  
cantamus, quod latinè interpretatur, vt no-  
stis, *Laudate Dominum*,] fusè idem habetur  
in epistola de celebratione Paschæ, inserta  
t. 9. Hieronymi quæ reuera est tantum rapso-  
dia ex Augustino. Qui quod ait tempus vitæ  
notari per quadragesimam, tempus verò alte-  
rius vitæ per Pascha, suffragatorem haberet  
Nazianzenum orat. 42. quæ est de Pasch. &  
Theodorum Striditum, Catechesi 66. Huic  
tamen rationi premendi *alleluia*, illud confe-  
stem opponitur, quod si *alleluia* nihil aliud  
sonat quàm *laudem Dei*, æquè premenda esset  
latina illa precandi tessera quam loco *alleluia*  
vsurpamus, per tempus quo tacetur *alleluia*;  
nempe *laus tibi Domine Rex æterna gloria*. Quæ  
ratio æquè pessundat omnes alias huius si-  
lentij rationes, quas Durantus supra n. 7. ex  
variis rerum Ecclesiasticarum tractatoribus  
coaceruat.

295 Illam verò ex D. Thoma petitam,  
videlicet quod *alleluia* sit vox plena gaudij,  
& denotet ineffabilitatem laudis Deo debi-  
tæ, quæ vt Iansenius cap. 110. concor. in hanc  
rem tradit, maxime congruit Paschati, non  
video quomodo approbare possimus. Præter-  
quàm quod enim non consonat notioni vo-  
cis ex D. Hieronymo propositæ, quorsum pro-  
hibemur certo tempore potius quàm alio,

R. 2 restit



testificari verbo, ineffabilem laudem Deo debere? Olim sanè Monachi in communi salutatione semper præmittēbant *alleluia*, vt ait D. Hieronymus epistola 27. & infantes quoque ea primū voce imbutos, vt perpetuò illam proferte discerent, ibidem tradit, ac etiam epistola 7. & in campis hoc fuisse leuamen operatum, tradit epistola 17. Arctatio igitur vsus vocis *alleluia*, ad certum anni tempus, non est iis probata qui perpetuò habebant illud in ore. Quod autem addebatur, hanc esse vocem exultationis ob ineffabilitatem laudis Deum decentis, æquè improbarunt, qui *alleluia* etiam in funeribus vsurparunt: quod Gallis olim in vsu fuit, vt libro 2. de vita S. Radegundis legere est. Vigiūllēque alibi vsū illum, liquet ex Theodoro Balsamone ad cano. 106. Conc. Carthag. Imo ex S. Hieronymo in Epitaphio Fabiolæ, idem Romæ in more fuisse, certum est. [Et iam (inquit) fama volans tanti prænuncia luctus, totius vrbis populum ad exequias congregarat. Sonabant psalmi, & aurata recta templorum, reboans in sublime quatiebat *alleluia*.]

Quare commoda ratio pressi per certum anni tempus *Alleluia*, ea est quam Rupertus profert lib. 4. de diu. offic. cap. 5. verbis illis. [Cum miserabilem antiquæ Ecclesiæ nondum redemptæ statum commemoramus, nostrumque incolatum, quia prolongatus est deplangimus, pulchro satis ordine *Alleluia* ab ore nostro tollitur; quia videlicet qui per illud significatur, illis nondum venerat; à nobis iam recessit, & ablatus est sponsus à filiis suis. Rectè hoc considerauit, qui hoc responsum cecinit *Alleluia*: *Dum præsens est, imitantur illam; & desiderant illam, cum se eduxerit.* Dum enim hic de *Alleluia* dixit, hoc quod de Sapientia scriptum est, quæ sine dubio Christus est; profectò per *Alleluia* Christum intelligi voluit; qui dum præsens esset, imitati sunt illum; & desiderauerunt eum, cum se eduxit, ascendens in cælum.]

*Aliorum de eo ritu sententia,  
eodem aptata.*

296 Eodem reuoluitur ratio illa Humberti Episcopi sylux candidæ, l. aduersus Græcorum calumnias. [Quod nocem (inquit) hebdomadibus *Alleluia* intermittimus, non incongruè per nouem hebdomadas, nouem ordines Angelorum accipimus. Quorum decimus ordo, per superbiam corrumpens, Angelicum numerum imminuit, & felicitatem perturbauit. Qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam timentes sibi, à perfectæ laude Creatoris fuere præpediti. Quorum recuperationi & consolationi consulens omnipotens Creator, primum hominem de limo terræ formauit, qui sui generis multiplicatione damna cælestis patriæ resarciret, atque Angelorum gaudia suppleret. Qua spe Angelicus chorus ad modicum exultatus, nec mora ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus. Vnde ille nouem ordinum centus, in laude Creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente, resurrexit prolapsus

ille Protoplastus sibi augmento sui Collegij, & meliori spe, Angelicus exercitus gaudis in nouum *Alleluia* confluxit totus, & in eo perstat deuotus. Quem & nos pro modulo nostro imitantes, a Septuagesima quando lapsus protoplasti in Ecclesia recitatur, *Alleluia* nouem hebdomadibus intermittimus; scilicet in Pascha, vbi Christus resurgens à mortuis, tristitiam nostram in gaudium vertit, & *Alleluia* reddit.]

Fortassis autem difficile non erit, plerisque alios qui de causa tacendi *alleluia* aliter philosophari videri possent, ad hunc sensum reducere. Plerique enim ac inter eos Blesens. ferm. 13. Durandus lib. 6. ration. cap. 24. Hugo Victor. ferm. 51. Turrecr. tract. 72. in reg. S. Bened. Autor libri de vita Eremitarum ad forem cap. 18. & quod præcipuum est Leo Papa de consecr. dist. 1. cap. *Hi duo* causam premendi à tempore septuagesimæ *alleluia*, inde ducunt quod illa septimanarum septimana, quæ à Septuagesima ad exordium passionis producit, designet septimanam annorum septem, inquam decades captiuitatis filiorum Israël sub Babylonio tyranno: quam fuisse imaginem captiuitatis humani generis sub principe tenebrarum, Christi passione solutam, grauissimè persequitur S. Hilarius in psal. 135. & in psal. 136. Hancque esse germanam rationem nominandi vnam dominicam *Septuagesimam*, & ita consequenter, rectè euincit Blesens. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 14. discussis & reiectis aliis de ea denominatione improbabilibus sententiis variorum autorum: præter quos legere licet apud S. Ambrosium sermonem 23. Sancto illi Doctori multo adscripto, vbi de ea denominatione peculiari modo philosophatur. Quia ergo memoria captiuitatis generis humani, adumbrata in Babylonica septuagenaria captiuitate, sub eiusdem numeri septenarij typo, recolitur à Dominica septuagesimæ. Et quia ea captiuitas soluta non est aliter quam per Christi aduentum & consummatam passionem, aint auctores prædicti, premi per tempus illud *alleluia*: non quia vox gaudij est, (id enim est postea ea communi sensu inductum:) sed quia Christus, qui absuit per tempus captiuitatis, nec venit vt in actu secundo redemptor, nisi per mortem & passionem qua redemption nostra est consummata, designatur per *alleluia*: quæ est vt vidisti ratio Ruperti. Et sanè ipse Rupertus eodem opere lib. 1. cap. 35. & lib. 7. cap. 11. rationem illam ratiō *alleluia*, eo quod tempus per quod taceatur signet tempus captiuitatis, vsurpat abique alia explicatione, vt illi alij auctores fecerunt. Signum ergo est, & Rupertum, & illos alios idem velle: hoc est vtrosque intellexisse, *alleluia* esse Christi Symbolum, seu laudis quam Deo per Christum redemptorem pangit Ecclesia. Quo pacto sumptum *alleluia*, est verè vox gaudij, & digna quæ Aggæum primum autorem habeat. Quod scribit Epiph. lib. de vita prophet. cap. 20. ait enim eum cum vidisset, Dei domum quæ prius miserè soluta ceciderat, fuisse reedificatam, cecinisse *alleluia* magno cum gaudio, iuxta prophetiam Tobie cap. 13. Nos igitur ædificari per Christum Dei domum



domum post captiuitatem cernentes, vt habet alicubi psalmi titulus, ipsūque primarium Dei templum Iudicae rabie solutum, denuo excitatum agnoscences, pressum aliquandiu alleluia resumimus, laudantes Deum per Christum, eumque excitatum, tantæque nostræ in Deum laudis argumentum, signantes per alleluia. Nec frustra hic quis tetulerit insignem victoriam à SS. Germano & Lupo de fidei hostibus reportatâ, adhibita acclamatione *alleluia*, quam etiam in prælio tessera usurpauit exercitus candidatorum apud Cæsarium lib. 4. mirac. cap. 54. Perinde enim fuit sic acclamare, ac Victoris Domini trophæa hostibus obicere.

*Christus gloria in excelsis Deo.*

297 Quæ dicta sunt de pressio aliquando alleluia, quia significat Christum, æquæ cadunt in canticum *gloria in excelsis Deo*, quod æquæ premittitur eodem tempore, & eadem ex causa, vt differet tradit Leo Papa cap. *bi duo* de consecrat. dist. 1. Nimirum hoc quoque canticum, exhibet nobis Christum, vt perspicue habent Euthymius & Beatus lib. 1. contra Elipandam, verbis illis. [Ie svs Christus filius Dei, de Maria, hoc est gloria in excelsis Deo, & in terra pax.] Et verè, Christus est perfectissima gloria in excelsis Deo, non modò ratione suæ diuinitatis, vt Theodoretus obseruauit in cap. 6. ad Rom. circa illud *quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris*, id est per suam diuinitatem; sed etiam ratione humanitatis Verbo coniunctæ, seu quatenus est Deus homo. Idcirco enim Eph. 1. Deus Pater vocatur *pater gloria*, id est Christi, quæ est gloria in altissimis Deo.

Quoniam D. Thomas ibi lect. 6. hunc locum aptat Christo quatenus Verbo, & idcirco notat eodem loco esse dictum, *Deum Domini nostri Iesu, & patrem gloria*, vt prius membrum, pertineat ad humanitatem assumptam, cuius pater est Deus ac Dominus; posterius verò ad Christi diuinitatem, id est ad secundam personam, cuius est pater, non Dominus. Videtur id velle S. Hieronymus ibi, sic scribens. [Porro Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater autem gloriæ, ita intelligendus, vt quomodo Dominus noster Iesus Christus, ipse est sermo, sapientia, veritas, pax, iustitia, fortitudo; ipse sit etiam gloria: secundum illud quod alibi dicitur: *Apparebit gloria Dei*. Et in omni penè veteri lege, scriptum est, super tabernaculum testimonij visam esse gloriam Dei. Et psalmista canit; *exurge gloria mea, exurge*. Quæ gloria illuminans suo fulgore mundum, templum sibi de virginali vetro fabricata est. Cuius templi pater gloriæ, efficitur Deus. Et vbi Christus gloria est, ibi tantum pater dicitur; vbi Iesus, ibi Deus eius, absque additamento aliquo nominatur. Ille igitur Deus assumpti hominis, pater verò gloria, sapientiæ, veritatis, dat credentibus in filium suum, Spiritum Sapientiæ.]

Idem prius tradiderat S. Athanasius, per illud locum quem Cyprianus. decade 9. cap. 6. refert ex eius lucubratione contra eos qui seruauit verbis, qui in opere nuper edito, ti-

tulum illum præferente, desideratur. Sic autem habet. [Gloria dicitur *unigenitus*: & vidimus gloriam eius; gloriam quasi unigeniti à patre. Quare illud; *Deus Domini nostri Iesu Christi*, perinde est, vt si dicatur; *Deus carnis Christi, Pater gloria, Pater diuinitatis*. Gloriam enim vocat Esaias Saluatorem secundum dignitatem diuinitatis. Cum enim narrasset miracula, quæ in deserto facta sunt, & euangelizasset deserto, exultet, (inquit.) *solitudo Iordani, & floreat tanquam lilium; quoniam gloria libani data est ei, & honor carmeli: Et populus meus videbit gloriam Domini, & altitudinem Dei: & videbit omnis caro salutare Dei*. Gloria igitur est à gloria, vnde & Paulus ait: *Quæ cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ*. Pater ergo est gloriæ, unigeniti; Deus autem carnis Christi.

*Etiā ratione humanitatis, verbo, coniuncta.*

298 Quamuis igitur D. Thomas, post illos Patres, itēque ad eundem locum Oecumenius, ac Chrysostomus, gloriam interpretentur Christum, prout Verbum æternum quod verè est *aporrheia gloria*, & sola limpida patris gloria, vt differet pulchrè & latè autor libri primi de Incarnat. apud Augustinum cap. 13. & 14. tamen nihil est quod vetet, vtrumque membrum sententiæ ex Apostolo propositæ. videli. et *Deus Christi, & Pater gloria* vltupare de Christo homine, quod fecit Apostolus 1. Timoth. 1. cum Euangelium Christi, vocat *Euangelium gloriæ beati Dei*. Item S. Ambrosius serm. 6. in psal. 118. v. 1. vbi totum psalmum 84. aptans ad Verbum carne vestitum, illud eiusdem psalmi *ut inhabitet gloria in terra nostra* sic enucleat. [Quis est gloria nisi Dominus Iesus? Vnde & Apostolus Paulus ait: *Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloria*. Merito complacet in eo Pater, quia patris gloria est. Hunc qui à patre separat, maiorem Patri iniuriā facit, quem vult esse sine gloria. Hunc quisquis æqualem Patri non putat, inferiorem & patrem iudicat, cum alio verbo patrem plus laudare non possit; vnius summa laus gloriæ, Christus est.] Tamen S. Ambrosius, æqualitatem cum Patre, Christo non vendicat nisi ratione diuinæ personæ; tamen totum Christum, ex diuina persona & humanitate coalescentem, vocat *patris gloriam*, & quidem *summam*. Quo item modo modo S. Bernardus serm. 1. de Annunc. tractans eundem psalmis versum, sic ait. [Si gloria patris filius sapiens; cum sit sapientia ipsa sapientior nemo; liquet profectò gloriam Patris Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam esse. Quia ergo multifariè multisque modis de eo prædictum fuerat in Prophetis, quod in terris visendus esset, & inter homines conuersaturus, quoniam modo id factum sit, vt impletis quæ de eo per os omnium Prophetarum dicta fuerant, habitauerit gloria in terra nostra, Psalmista indicat in his verbis, ac si manifestè dicat: vt verbum caro fieret, & habitaret in nobis, misericordia & veritas obuiuerant sibi, iustitia & pax consueuerant sibi.

R 3 Magnum



Mignum Sacramentum fratres, & diligentius perferendum, nisi & intellectus mysterio, & ipsi quoque intellectui verba decissent.)

299 Sed & Rupertus lib. 12. de victor. verbi Dei cap. 27. illud psalmi 36 exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, interpretatur, dictum Christum à Patre gloriam suam. [Quod erat (inquit,) illud psalterium, vel quæ cithara? Vnum idemque corpus, in sepulchro quiescens, erat psalterium, erat cithara. Erat cithara quem distentis charitatis fidebus personantem, dulcesque prædicationis sonos modulantem, Iudæi confecerant. At illa fractura citharæ, illi causa fiebat augmenti, causa successus optimi, vt surgeret psalterium decachordum; id est psalterium dulcisonum, nonquam frangendum, semper confessionis in populis, & psalmi in gentibus vocem daturum: cuius chordas manus nulla vltius rumpere posset; cuius ligni compages, deinceps nulla vis frangere prævaleret; iuxta quod a t. Apostolus; *Christus resurgens ex mortuis, iam non morietur: mors illi ultra non dominabitur.* Hæc est gloria Dei Patris, quia videlicet in hoc opere suo, per magnam gloriam abundantiam charitatis, *Exurge igitur* (inquit,) *o gloria mea, exurge psalterium & cithara.*] Breuiter idem attigit S. Hieronymus quæst. 9. ad Hedibiam. S. item Cyrillus in exegesi de Incarnatione. ad Valerianum Episcopum, quæ extat t. 6. Conc. Ephes. cap. 17. Verbum carne vestitum esse gloriam Patris, egregie tradit & multis Scripturis idem confirmat Dialog. 6. de Trinit. consonatque quod S. Augustinus quæst. 154. in Exodum, illam Mosi petitionem, *ostende mihi gloriam tuam*, interpretatur de Christo Deo homine, vera Patris gloria. Idem habet Helych. lib. 5. in Leuit. cap. 16. Quod item Ezechiel cap. 1. habet de gloria Dei super portam Orientalem, Rupertus lib. 1. in Matth. interpretatur de Christo in Deipara edito. Petrus denique Damiani serm. 45. sic scribit. [Gloria Domini intelligitur Christus, cuius fide repletus est mundus. De qua gloria cum pro adorato vitulo deprecaretur Dominum Moyses, vt parceret populo peccatori; Respondit Dominus: *Propitius ero illi. Verumtamen vivo ego, & vivit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra.* Et Psalmista: *Implebitur* (inquit) *gloria eius omnis terra.*

#### Tituli propositi, ratio gemina.

Christum potest esse *Dei gloriam*, duobus modis explicare possumus. Primum quia Christus, vt recte notauit S. Chrysostomus hom. 7. ad Philipp. maxime omnium patrem glorificauit. [Nemo ita Deum honorauit. Quantum habuit celsitudinis, tantum humilitatis vicissim subiit. Quenadmodum maior est omnibus & nemo illi æqualis, ita & honorando patre cunctos superauit.] Itaque Christus in illis ipsis suis inhorationibus in quibus inglorius apparuit, maximam Patri gloriam contulit. Vnde non immerito ex eo capite denominari potest *gloria Dei*; multo magis quam gratia accidentalit, cui sacra litera tribuant nomen *gloria Dei*, tantum quia

per eam accipimus illustrissimum diuinæ gloriæ incentiuum, & fecundissimum argumentum. Ita sanè Prosper lib. contra Collatorem cap. 10. alias 22. accipit illud Apostoli, *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Apostolus enim continenter declarans quæ sit ea Dei gloria qua omnes egent, subdit; *iustificati gratis per gratiam ipsius.* Vnde iussit Prosper, [ergo gratia, gloria Dei est, non meritum liberati. Quis enim prior dedit ei, vt retribuatur illi? Nihil boni operis ex mortuis, nihil iustitiæ procedit ex impiis. Tota ipsorum salus, gratia est. Et ideo gloria Dei est, vt qui gloriatur, in illo cuius gloria eguit, gloriatur.] Igitur si eam ob causam, quod locuples nobis diuinæ gloriæ argumentum suppeditet, accidens emortuum & ex se oblitum, *Dei gloria* dicitur; quanto magis Christus idem nomen fortiri poterit, vnde nobis vt è feracissimo solo, diuinæ gloriæ messis vberima existit.

Respectu item nostri, non immerito Christus dicitur *gloria Dei*, quia nullum est nobis illustrius argumentum exhibendæ Deo gloriæ, nec Deus de vilo suo opere tam gloriatur. Audi Rupertum lib. 3. in Matth. [Reddè Pater gloriosus, & hic dicit, *In quo mihi bene complacui.* Et eundem in psalmo *gloriam suam* appellat, dicens ad eum; *Exurge gloria mea.*] Quod vilius aliud Dei opus est in quo Deus æquè sibi complacere possit; quodque gloriam suam denominare merito valeat, ac Christus in quo tam splendide micant omnes Dei perfectiones, sapientia, misericordia, amor, iustitia, potentia? Quod hic non iterò quia fuscè in hoc argumento veritas lapsa sum tractans faciem Dei. Sanè singulares iusti sunt gloria Dei, ex Chrysostomo hom. 18. in ad Corinth. multo magis Christus.

#### Vsus doctrina.

300 Quia autem qui Deum glorificant, glorificantur à Deo, glorificari Christum patuit, & nos maxime ad id astringimur iuxta illud Augustini tract. 25. in Ioan. [Ille dixit se filium hominis & Petrus cum dixit filium Dei viui. Optime ille commemorabat, quod misericorditer exhibuerat: Ille commemorabat quod in claritate permanebat. Verbum Dei commendabat humilitatem suam; homo agnoscit claritatem Domini sui. Et reuera fratres, puto quia iustum est. Humiliari se propter nos, glorificemus illum nos. Non enim filius hominis propter se est, sed propter nos.] A Deo item, glorificatus merito est Christus. Quamquam in hoc mundo sibi quidem gloriam conciliant, seque glorificauit, verum non gloriosè, ait Orig. hom. 6. in Exod. ad illud *gloriosè magnificatus est.* Erit tamen sibi *gloria gloriosa*, in cælo. Audi ipsam Origenem. [Dominus meus Iesus Christus cum carnem ex Virgine Maria pro salute nostra suscepit, glorificatus est quidem, quia venit quætere quod perierat; non tamen gloriosè glorificatus est. Dicitur enim de ipso, *quia vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem, & vultus eius ignobilis super filios hominum.* Glorificatus est, & cum ad crucem venit,



venit, & pertulit mortem: vis scire quia glorificatus est? Ipse dicebat; *Pater veni hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Erat ergo ei gloria, etiam ipsa passio crucis. Verum gloria hæc, non erat gloriofa, sed humilis. Denique dicitur de eo, *humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis.* De quo etiam Propheta prædixerat: *Morte turpissima condemnemus eum.* Sed & Esaias dicit de eo: *In humilitate iudicium eius sublatum est.* In his ergo omnibus, glorificatus est Dominus; sed (ut ita dicam,) humiliter non gloriosè glorificatus est. Verum quia hæc oportebat pati Christum, & sic introire in gloriam suam, cum venerit in gloria Patris & Sanctorum Angelorum, cum venerit in maiestate sua iudicare terram, quando & verum Pharaonem, id est Diabolum, interficiet spiritu oris sui; cum ergo resurget in maiestate Patris sui, & post aduentum humilitatis, secundum nobis in gloria ostendet aduentum; tunc non solum glorificatur Dominus, sed & gloriosè glorificatur, cum omnes ita honorificent filium, sicut honorificat patrem.]

Appono pro clausula insignem planè fructum, quem ex hac denominatione Christi, suppeditat Orig. idem hom. 4. in Esaiam tractans illud, *Plena est omnis terra gloria eius,* ubi

sic ait. [Olim plena domus erat gloria, nunc verò his qui super terram sunt à Seraphim prophetatur, quia futurum sit ut vniuersam terram gloria Dei mei Christus impleat. In omnibus quippe qui conuersatione sua glorificant Deum, gloria Dei est; atque ita vniuersa terra, plena est gloria Dei. Olim non omnis terra plena erat gloria Dei, sed vnus angulus terræ, quando dicebatur: *Notus in Iudea Deus, in Israël magnum nomen eius.* Gloria Deo, qui misit filium suum, ut omnis terra plena fieret gloria sua. Sed quid tibi prodest, si terra propter Ecclesias beatorum, qui ubicunque sunt, plena sit gloria Dei, tu autem non sis particeps gloriæ plenitudinis Dei? Et tu ergo labora, & in cunctis enitere ut sis gloriam Dei quærens, ut inhabitet & inueniat locum in te, & has etiam tu cum omni terra in qua est gloria Dei, plenus gloria eius. Quomoddò sit per singulos nostrum plenitudo gloriæ Dei? Si quæ facio quæ loquor, in gloriam Dei fiant, plenus sermo meus & actus sit gloria Dei. Si & processus & ingressus meus, in gloriam Dei est, si cibis, si potus meus, si omnia quæ facio in gloriam Dei fiant, & ego particeps sum istius dicti, *Plena est terra gloria eius.*]



SECTIO